





Ms. O.

~~Da b~~

EX BIBLIOTH.

NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VHBT


SIGNAT. CI<sup>o</sup>ICCCXIII.













PSALMVS CI. 1  
PRINCIPIS  
CHRISTIANI  
INSTITVTIO.

A DAVIDE REGE ET VIRO  
DEI PERSCRIPTA: ET APERTA  
analyfi commodaq; ad rationes temporum  
noſtrorum commentatione a FR. IVNIO Bi-  
turige illustrata:

*Εὐχὴ τελεστικὴ πρὸς τὸν καλὸν principis.*

A D  
ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM  
FRIDERICVM III. Electorem  
Palatinum, &c.



HEIDELBERGAE.

*m. Aug. 1703.*



ILLVSTRISSIMO PRIN-  
CIPi, DOMINO CLEMENTISSI-  
MO D. FRIDERICO IIII. COMITI PALA-  
tino ad Rhenum, S. Romani Imperii p̄ima-  
rio Dapifero atque Electori, Bavariae Duci,  
&c. Domino gratiosissimo, Franciscus  
Iunius Gratiam & pacem a  
Domino.

**A**erbissimum quidem luctum, Princeps Illustris-  
sime, & curas gravissimas T. C. Ecclesie, patrie,  
bonis, inexpectatus ille & tristis obitus Principis Illu-  
strissimi p̄e memorie D. Ioannis Casimiri (Comitis Pa-  
latini ad Rhenum, &c. patris ac tutoris T. C. legiti-  
mi, Domini mei gratiosissimi, his paucis diebus ap-  
portavit. Sed quia sic Deo opt. max. visum est, cuius  
voluntas est constantissima iustitiae veritas & summa  
rerum necessitas, acquiescimus dolentes, non inuiti, iu-  
stitiae eius, quam irrita animus peccantes: & tacemus o-  
mnes, quia manus Dei fecit: & eo magis tacemus, quia  
propter nostra peccata fecit. Lugeat T. C. patris opti-  
mi obitum, qui oculus fuit videnti, pes ambulanti, agen-  
ti manus in illa etate infirma teneraq; tua, & qui fir-  
mior em adultioremq; T. C. deinceps omni officio ac  
potius pietate fuisset adiuturus. Lugent alii (in quibus  
ego) T. C. causa, Ecclesie, patrie, communi, sua. Sed  
quid luctum reuoco? quem tempus minuit, ratio exi-  
mit, pietas & fides durare negant in longum tempus  
oportere. De hoc, scio, multi ad T. C. multa: quibus  
non addam. De curis fortasse non ita multi, quae T. C.  
obsessam tenent. Hoc officium tamen T. C. debetur, si  
quicquam: praesertim hac constitutione rerum quam  
video



P R A E F A T I O.

3

video his initiis, his moribus, atq; temporibus. Sed hoc vulgi opus non est, non priuatorum, non meum. Sunt apud T. C. viri pietate, iudicio, auctoritate, vsq; multiple & peritia graues, a quibus hoc officium petas. Etsi vix unquam tempus est, quum id faciant qui debent: omne qui faciat, nemo est. Causas defectus non quero; quas scio esse nimis multas: miseriam queror mortalitatis, infirmitatis, inscientiae nostrae: addo etiam morum nostrorum, ac temporum. Quid ergo? ego ne is sum ex tanta hominum turba, qui possim? qui debeam? qui ausim? qui faciam? Equidem non sum nescius tenuitatis meae: mihi supra alios quicquam non arrogo: Prae aliis nec possum, nec debeo, nec audeo quicquam. Id multiplex instrumentum potest, debet vocatio, audeat animus promissione diuina & ope confirmatus in vocatione sua. Quibus insunt ista, ij viderint: vel potius viderit Dominus, & confirmet ipsos. Ego ad T. C. allego duos communeis praeceptores nostros. Horum unus est Deus ipse: quid enim dignius Principe, quam ut sit deo didaxtos? Alter, David Rex in populo Dei: quid in rebus humanis amplius quam diuinum Regem sequi praeceptorem? quid his rebus Principi salutaris? Horum voces T. C. principatus sui procurationem recens obeunti, cum bona venia abiturus, offero, & felicia omnia faustaq; precor, quum etiam ex ditione T. C. (ubi suauiter annos amplius xxv. Halcyonijs vsus sum) alio, quo me Deus vocat, migranero, precaturus idem a Domino. Vt Seruus Dei, exhibeo verbum Dei: ut discipulus Davidis, disciplinam eius: de officio Principis ab illis dicta exhibeo Principi, qui me, ut ipsius maiores Illustrissimi fouit presidio suo & gratiose dimittit abiturum. T. C. itaq; submisisse rogo, ut hoc verbum acci-

A 2



piat tanquam Domini, reuerenter: accessionem vero o-  
 pera mea clementer, ut clientis & serui fidelissimi cum  
 hic, tum alibi, ubicunq; locorum fuero, ex animo con-  
 stanter permansuri. Deus optimus max. T. C. men-  
 tem animunq; confirmet in omni bono, ab omni malo  
 tueatur, consiliaq; & actiones cum in his initijs graui-  
 oribus, tum etiam toto vite gubernationisq; curriculo  
 regat & dirigat ad Palatinatus, Germanie, &  
 Christianæ Ecclesiæ reiq; pub. bonum,  
 & gloriam nominis sui sem-  
 piternam.







Psalmus centesimus primus.

1 Davidis Psalmus. BENIGNITATEM & ius cantabo: tibi, o Iehoua psallam.

2 Animaduertam via integra, quando sis venturus ad me: indesinenter ambulabo in integritate animi mei, intra domum meam:

3 Non proponam mihi ob oculos verbum hominis nequam: factum declinantium odi, non adhaerebit mihi.

4 Animus peruersus recedet a me: malum non cognoscam.

5 Lingua ledentem apud me clam proximum suum, ipsum exscindam: elatum oculis, & tumentem animo, istum non potero ferre.

6 Oculi mei attendent ad veracem terram, ut consideant mecum: ambulans via integra, is ministrabit mihi.

7 Non habitabit intra domum meam faciens dolum: loquens mendacia non stabilietur coram oculis mei.

8 Singulis matutinis exscindam omnes improbos terrae, ad rescindendum a ciuitate Iehouae omnes qui operam dant iniquitati.

Verissime illud dictum est a sapientibus, & communi omnium usu confirmatum, ordine annia illustrari: Nam & infima quæq; ordine



6

## P R I N C I P I S

suo collocata, functionemq, suam ordine obe-  
 untia, in luce quadam ante oculos versantur o-  
 mnium: & cum ab infimis per media ad fastigia  
 summa ascenderis cogitatione, incredibilis est  
 in explorando & recognoscendo rerum, cum  
 singularum in se, tum cunctarum inter se or-  
 dine delectatio: quæ si vna specie humana mē-  
 ris acie cerni ac perlustrari posset, incredibilem  
 sui amorem excitaret. Cum itaq; in rerum na-  
 tura certo ordinis complexu omnia teneantur,  
 nemo profecto est, qui eadem ratione non pos-  
 sit continuo animaduertere, quantum sit in  
 earum rerum ordine positum quæ principatū  
 aliquem in iis obtinent: Vnde vulgo illud iam  
 olim de humano ordine prædicatum, Quales  
 principes, tales ciues plurimum existere. Nihil  
 autem hoc loco de illo imperæstigabili ordi-  
 ne dicimus, quo omnia a Deo, velut principio  
 constantissimo pendent, & ad eundem, velut  
 finem certissimum, spectantia referuntur; nihil  
 de caelesti illo sanctissimoq; in æternum ordi-  
 ne, quo electi Angeli in cælis spectant faciem  
 patris nostri, & religiosissime illi obsequuntur:  
 nihil de spirituali illo ordine, quo res omnes  
 creatæ ad Dei imaginem illud suum Archety-  
 pum spectant, & in contemplatione eius acqui-  
 escunt: nihil deniq; de illo communi ordine,  
 quo res omnes creatæ manu & consilio Dei,  
 eadem manu consilioq; & infinita p̄uiden-  
 tia illius sustentantur, aguntur, ferunturq; No-  
 bis tantum illius ordinis hic ratio habenda est,  
 quem Deus in rerum humanarum ductu, & ad-  
 ministra-



ministracione instituit, diuino plane ac cælesti  
 beneficio, vt maiestatis suæ, potentia, ac opera-  
 tionis, quam nemo homo potest mente assequi  
 aut comprehendere, typus aliquis ante oculos  
 & ora omnium haberetur. Est enim profecto, est  
 principatus humanus, adumbratus typus sum-  
 mæ illius & augustissimæ dominationis, quam  
 Deus in res omnes creatas obtinet. Quapro-  
 pter etiam Principes & magistratus singuli in  
 sua vocatione Dii sunt in scripturis appellati:  
 qui etsi a ceteris, quibus diuina voluntate præ-  
 sunt, natura sua non differunt, tamen & iure &  
 administratione eo euecti sunt, vt præ se ferant  
 Dei imaginem, qua & administri sunt illius, &  
 naturæ vindices, & iuris secundum Deum, na-  
 turam, ciuilemque ordinem assertores. Ad hunc  
 igitur honorem tantum quamuis sanctissimus  
 ille Propheta David iam diu præparatus esset,  
 tum prophetiis quas audiuerat, tum exercita-  
 mentis plurimis, quæ per voluntatem Dei ini-  
 uerat: tamen vbi prope tempus esse vidit, cum  
 regnum illud promissum & typum regni spiritu-  
 alis Christi capesseret, tum demum animum su-  
 um excitauit ipse, vt omnib. reb. quæ ad tantam  
 administrationem sunt opus, instructus acce-  
 deret. Cum autem diuinum institutum sit, &  
 diuinus ordo, vnde melius, obsecro, armamen-  
 ta quæ ad hanc rem sunt opus, quam a Deo ipso  
 huius publici ordinis & vocationis auctore pe-  
 tiuisset? aut cui magis cum auctoritatem suam,  
 tum instrumenta omnia ad auctoritatem hanc  
 iuste vtendam pertinentia, quam Deo tulisset



accepta? Hæc igitur causa est, cur Propheta ille Dei in regno constitutus, & rex non solum Dei imperio sed ordinum etiam consensione publica confirmatus, & cum animo suo cogitans quid ad Dei cultum, quid ad civilem regni administrationem institui oporteret, seipsum curavit prophetico spiritu informari, manūq; admouit stilo, vt actus Dei spiritu hunc psalmū exararet, non tam dignitatis & honoris, quem multi imprudentes ambiunt, quam officii debiti futurum testem & sponsoem voto publico ipsius. Finis itaq; huius scriptionis videtur fuisse duplex: vnus, vt rex & Propheta Dauid conscius vocationis suæ, in quam Deus ipsum euexerat, mentem suam ipsius informaret, suūq; animum inflāmaret ad omne opus, quod genus hoc vocationis postulat, sancte obeundum & perficiendum in Domino: quod opus certis velut cancellis circumscriptum haberet ante oculos, & se quasi voto ad illud constrictū arctius in legibus sui officii a Deo positis contineret: Alter, vt sanctæ illius religionis studiiq; vehementissimi, quo vir Dei flagrabat, in posteritatem exemplum relinqueret, quod omnibus hominibus, in dignitate aliqua & functione humana constitutis per Dei voluntatē, documento esset. Ad hunc finem quicumq; in sua vocatione possunt contendere, vt sibi & aliis, præsentibus opere, futuris exemplo profint, hi vere aguntur Dei spiritu, & certissima Dei benedictione in grauissimis etiam difficultatibus rerum teste Dauide instructi sunt. Summa est,

ma est,



I N S T I T V T I O. 9

ma est, cum pii magistratus officium in duabus rebus sit positum, nempe in actionibus, quæ ad verum magistratum pertinent, & in actionum fine, qui propriam formam actionum & essentialem (vt vocant) solet induere, Dauidem pro vocatione sua vtrumq; spondere Domino, & se de illis rebus tam sollicite hoc scripto informare, vt nullam actionem suam in toto suæ illius vocationis curriculo velit instituire, quin exploret diligentissime actionum suarum modû, quales in sese, quales in accedentes ipsum, quales in domesticos, quales in administratos, quales deniq; in omnes populares suæ fidei & curæ commissos futuræ sint. Quæ attenta observatio, tum actionum, tum vero obiectorum, in quibus actiones nostras opus est occupari, adeo est utilis & necessaria, vt sine ea nullus magistratus facta sua recte instituire, nedû beneres institutas possit perficere. Partes igitur huius Psalmi, quo seipsum Dauid Deo & Ecclesiæ obstringebat in obseruanda ratione sui officii, omnino duæ sunt: Primum enim proponitur a Davide summa ratio officii, quod videbat sibi regio munere imposito a Deo imperari, primo versu: Deinde vero officium illud ipsum summatim ab eo positum, reliquo psalmo enarratur per suas partes luculentissime, secundum ea obiecta quæ paulo ante perstrinximus.

*I Benignitatem & ius cantabo: tibi, o Iehoua, psallam.*

Summa igitur propositio, qua Dauid hoc lo-



co vsus est, modum finemq; officiorum tradit, quem David ipse sibi secudum Deum statuebat, quemq; alios omnes exēplo ipsius in oculis ferre necesse est, vt pro eo ac possunt suis partibus coram Domino defungātur, a quo omnis potestas & ordo etiam humanus profectus est. Modus a Propheta exponitur his verbis, *Benignitatem & iustitiam*: Finis vero illis, *Tibi, o Iehoua, psallam*. In modo quem magistratus quilibet seruare tenetur Deo auctore & natura ipsa contestante, numerantur duo: *benignitas* siue clementia, quæ proprium est & singulare ornamentum eorum qui ad potentiam & auctoritatē aliquam euecti sunt: Et *iustitia* siue iustitia pro conditione tum personarum, tum etiam causarum siue meritorum (vt vocant) temperata. Finis est Dei gloria, a quo principium harum vocationum est, & in quo, velut sine summo, dona, vocationes, administrationes, & operationes omnes omnium conquiescunt, vt per eas gloriam suam assequatur Deus.

Illius autem benignitatis, quæ summopere viros principes decet, duo velut riui in populares solent profluere: quorum alter ad omnes pertenditur, Clementiam appellamus: Alter ad afflictos siue miseros quosuis, vnde in vulgo dicitur Misericordia. Ac clementia quidem patet latissime, & quasi mater est huius ipsius misericordiæ quam secundo loco ponimus: sed cum alteram harum cum altera comparamus, angustiore significato clementiā dicimus eam  
virtu-



virtutem animi quæ in omnes lenis & benefi-  
ca est, etiam citra miseriam contemplationem.  
Neq; enim in eos solum clemētes sumus, quos  
in malis deiectos prostratosq; cernimus, sed et-  
iam Clementiæ bonis eos prosequimur, qui in  
bonis illis quæ iam adepti sunt, aut confirman-  
tur, aut cumulantur adaugenturq; beneficiis.  
Hæc autem virtus cum sit eiusmodi vt nullum  
ex omnibus magis quam Regem aut Principē  
deceat, & ad gratiam securitatemq; sit utilissi-  
ma, si cum prudentia iudicioq; vsurpetur, opti-  
me primus locus in modo administrationis a  
Propheta huic tribuitur: quandoquidem sola  
est, siue Misericordia ( vtolim Cassiodoro pla-  
cuit ) siue Clementia, cui omnes aliæ virtutes  
cedere honorabiliter non recusant. Tanta est  
vis humanitatis, vt ei cedant omnia, aut certe  
flectantur ad illius commodū cum dignitate &  
gratia siue iniuria. Ius vero siue iustitiam, alte-  
rum sanctæ administrationis modū, optime ad-  
hibuit Psaltes, ac necessariq; cum tanta sit vis il-  
lius, vt nec ij quidem qui scelere ac maleficio  
pascuntur, possint sine vlla particula iustitiæ vi-  
uere: vsq; adeo necessaria est hæc lampas, qua in  
principatu collustrentur omnia, & occupen-  
tur ad commune bonum. Huius autem lampa-  
dis siue facis ( vt ita appellemus ) duæ sunt facu-  
læ, summum ius, & æquitas, siue æquum bonū,  
τὸ ἐπιεικὲς, rigorem siue acerbicatem illius tem-  
perans, & quasi obtundens aciem quæ vehe-  
mentius ad omnia se esset exsertura. His duo-  
bus luminibus illustratum principem, has faces



præ se ferentem, has sibi, suis, exteris prælucentem, & in lumine earum gloriantem, quis nesciat vere principem bonum esse, & ab omnibus agnosci, prædicari, ac coli oportere? Hanc laudem apud Græcos viri fortes multi, & apud Romanos, florente Repub. ac nondum labente, obtinuerunt olim: quæ si apud gentes alienas a Dei notitia & federe in tanto pretio fuit, vere laudatus apud Christianos princeps ille futurus est, qui se & suos his luminibus præclaris summa fide diligentiaq; instruxerit: quam laudem David nec sibi arrogat hoc psalmo, nec de se gloriose prædicat, sed tantum profitetur studium suum, & cantico solemni vouet sibi animū fore ad ista, quæ lingua cecinit, præstanda opere & factis in populo Dei. Etsi quod ille sancta modestia impeditus, & sui ipsius conscientia, minime prædicauit de se, id Spiritus Dei in sacra historia testatur luculentissime, huic animi instituto institutum vitæ & administrationis optime respondisse: cuius rei exempla cum in scriptura existent ante oculos omnium, ab eis colligendis breuitatis causa abstinemus: præsertim cum suæ illius clementiæ iustitiæq; laudatissimæ spiritum sanctum in omnem ætatem idoneum præconem habuerit, qui suo præconio & regis huius exemplo pios quosq; principes ad hæc officia prouocet, cum huius laudationibus, tum auctoritate sua. Sed etsi magna sunt hæc lumina in repub. omnibus merito prælucentia, tamen nisi iustus illorum finis accesserit, ad quem viri principes his luminibus instructi

structi



structi contendant: hæc certe non lumina vera, sed vmbrae luminum, nec illi veri & sancti Principes futuri sunt, sed bonorum sanctorumque Principum simulacra. Præeat igitur bono cuique Principi hic Rex bonus facem, & doceat singulos quem ad finem Principes bonos certissimo cursu oporteat contēdere: *Tibi, inquit, o Iehoua, psallam.* His etenim verbis non id solummodo sibi voluit Psaltes, se ista rerū pub. regnorumque lumina celebraturum esse coram Domino, & consignaturum scriptis, aut etiam votiuis sponsonibus animum suum obstricturū: sed conscius cum animo suo vocationis suæ, conscius diuinæ promissionis, quæ cum vocationibus illius semper est cōiunctissima, & fretus fide & veritate Dei, omnia sibi spondet a Domino ad obeundam functionem suam pertinentia, & omnia de se Domino. Nam vtrumque opus est, vt quisquis boni principis constituit fungi munere, is tum omnia expectet a Domino quæ necessaria ad perfungendum munus futura sunt, tum omnia de se spondeat, seq; totum addicat, committat, & permittat Domino. Harū duarum rerum conscientia armatus Princeps, profecto non potest quin finem hunc sibi indefinenter proponat, vt tota administratione sua tendat ad Dominum. Quī enim aliter posset bonus ille Princeps, qui non solum principium commune vocationis suæ sed etiam singulare, ad singulas actiones suas in perfungendo munere, Deum esse animaduernerit, & hanc vnā viam certissimā esse ad gloriam veram



& immortalem cognouerit, si in documentis illius & ductu diuino conquiescat? Hic ergo Princeps ille est, qui fide optima merito cum Dauide hæc verba enunciabit, *Tibi, o Jehoua, psal- lam, te principem, te ducem, te consummato- rem vocationis meæ, & finem summum totius ordinis huius prædicabo.*

*2 Animaduertam via integra, quando sis venturus ad me: indefinenter ambulabo in integritate animi mei, intra domum meam.*

Hactenus propositio a Dauide instituta: cuius expositionem deinceps aggreditur & pertexit sanctissime in psalmo reliquo. Nam quia benignitatis ea natura est, vt tanquam sanguis per corpus, ita per omnes iustitiæ partes infusa sit, leges quidem benignitatis propheta reticet: Cum vero iustitiæ, ad quam contendebat, perscribit modum sequentibus diligentissime, benignitatis certe clemētiæq; modum cum modo iustitiæ, quem sibi præscribit, complectitur. Quapropter vt de iustitia dicamus, non vniuerse, sed distincte, eaq; non populari, sed regia & vero Principe digna: disciplinam illius quam sibi diuinitus præscriptam cætabat Dauid, ex verbis ipsius percipiamus necesse est. Iustitia igitur viro principe digna duobus temporibus ferme distinguitur, militiæ, & pacis. Militarem iustitiam hoc loco non attingit Propheta: sed eam quæ pacis tempore maximam dignitatem & auctoritatē obtinet, nec in militia negligi a Principe bono potest, nisi  
armo-



armorum licentia effrænes animos, a quibus maxime abhorret iustitia, effecerit. Nam hæc iustitia communis est temporum omnium, illa quam militarem dicimus, circumclusa est suis temporibus: hæc ad omnes pertinet, illa ad non nullos solum: hæc regula est & meta totius administrationis humanæ, illa vero ad hanc, velut ad finem, contenditur. Ut enim militia iusta ad iustam pacem adipiscendam & tranquillitatem fruendam suscipitur, sic iustitia militaris togatæ illius est administra. Missa itaq; illa particulari iustitia, quæ funestis bellorum temporibus terminatur, Psaltes de iustitia communi perpetuaq; instituit dicere: cuius legibus æque tenetur miles, si a licentia illa discesseris quæ cum vi quadam coniuncta est, atq; priuatus homo pacis tempore in optima repub. Huius autem iustitiæ, quam principalē appellamus, duo sunt opera: quorum alterum nulla ratione ab altero disparari potest, quin iustitiæ dignitas collabatur. Vnū iustitiæ opus est, vt Princeps in se iustitiam colat: alterum, vt quam in se colit, eandem in alios exerceat. Hunc ordinem Propheeta optime hoc loco tradidit: & prout vita studuit, sic etiā sermone & scripto assequutus est. Primum enim de iustitia in se statuēda, & apud sese colenda Propheeta agit, tribus versibus: deinde vero ad iustitiam in alios exercendam cōuertit orationem suam, inde a versu 5. eamq; ad finem vsq; psalmi pergit describere. Atq; hic ordo in hoc argumento tam necessarius est, quam qui maxime. Nam bonum Principem, si qui-



dem vere bonus, ac non simulate futurus est, a se ipso oportet principium ducere: vt ex eo, veluti fonte, bonitatis fructus in alios deriuentur, exempla præluceant, & leges esse in auctoritate possint. De his ergo, pro eo ordine quem Dauid instituit, dicemus breuiter, & iustitiam Principis tum in se tum in alios, præeunte nobis Dauide, informabimus.

Iustitiæ quam Princeps in se tenetur colere, tria sunt capita: Vnum, pietatis: Alterum, integritatis constantis ad omne bonum: Tertium, prudentiæ omne malum a se quam longissime propellentis. Pietas fons communis est omnis iustitiæ: reliqua duo capita ad sanctitatem pertinent, & (vt omnia complectamur paucis) Quemadmodum iustitiæ in alios exercendæ fontem in ea iustitia ponimus quam in se Princeps habiturus est, sic etiam iustitiæ illius qua Princeps in se instructus est fontem in pietate collocamus. A Principe in alios iustitia deriuatur, a Deo in Principem. Quapropter optime Propheta communem hunc iustitiæ fontem, pietatem inquam & religionem, anteire cæteris voluit: Deinde vero sanctitatē illam, velut proximum pietatis partem, subiecit suo loco, & in suos riuos distribuit commodissime. Pietatem, germanam veræ iustitiæ matrem, Propheta his verbis exprimit: *Animaduertam via integra, quando venturus sis ad me.* quasi dicat, duo sunt, in quæ diligentissime contendam aciem mentis meæ: Nam cum ad me ipsum, tum ad te statui respicere: ad me, vt viam integram obseruem, id est,



id est, integritatem conscientiae & simplicitatem (vt Paulus loquitur) ἀνυπόκριτον: ad te vero, vt obseruem quando eris venturus ad me, teq; excipiam pro officio meo, aut certe modulo, cum officium meum erga te minime praestare possim, aut eo praestando mihi satisfacere. Hæc duo in omni pietatis officio esse per necessaria, non solum per Dauidem docemur a Dei spiritu, sed etiam a natura per internam illam lucem quam Deus in mentibus nostris conseruauit. Quis enim nesciat, in omni pietate perpetuam relationem esse inter eum qui colit & eum qui colitur? Nam inter hos pietatis actum, quisquis est, interuenire necesse est. Præterea quis ignorat, eum qui colit, cum tenuitatis suæ, tum maiestatis quam colit conscius, veritatem siue integritatem, simplicitatemq; & bonam conscientiam sistere coram Domino, quem colit, oportere? Quis vsq; adeo hebes est, vt ad Deum aditurus putet sibi inesse facultatem eum accedendi? ac non potius statuatur cum animo suo, opus Dei esse vt ipse accedat nos? non autem nostrum, vt accedamus ipsum? siue (vt dicamus planius) accessum nostrum ad Deum, esse opus diuinæ gratiæ, non naturæ nostræ? Optime itaq; ad hæc respiciens Propheta sic enunciauit officium pietatis suæ: *animaduertam via integra, quando venturus sis ad me.* Venit autem Deus ad suos, & pii venientem accedunt, diuersis modis. Venit Deus ad suos communiter, venit singulariter, venit deniq; (vt ita dicamus) finaliter: sic enim memoriæ causa vocem nobis liceat con-



fingere. Venit communiter tanquam ad oues  
 suas: venit singulariter, tanquam ad admini-  
 stros suos: venit finaliter, tanquam ad eos qui  
 reddituri sunt rationem vitæ & administratio-  
 nis suæ. Venit communiter ad oues suas, cum  
 obsignat eas signaculo communis vocationis  
 nostræ, id est Spiritu S. suo, cuius communica-  
 tione Christiani sumus. Venit singulariter ad  
 suos ministros, cum eos instituit in functio-  
 ne quæ videtur Domino, vt eam suscipiant ob-  
 eantq; secundum ipsum. Venit finaliter ad o-  
 mnes promiscue, cum eos secundum naturæ  
 legem recipit ex hac vita ad se, vt reddant ratio-  
 nem qua oues, vitæ; qua administri, vocationis  
 & administrationis suæ. De primo autem ge-  
 nere aduētus nihil hic a Propheta institui con-  
 stat: quia totus hic psalmus de rationibus insti-  
 tutoq; Davidis conscriptus est, non qua ouis  
 fuit de grege Christi, sed qua Rex fuit in popu-  
 lo Dei, & pastor in grege Christi. Quapropter  
 sermonem illum omittentes qui haberi hoc lo-  
 co posset de instituto ouium Christi, quarum  
 in numerū, cum oues perditæ essemus, a sum-  
 mo pastore & episcopo animarum nostrarum  
 recepti sumus: Ita statuimus, Davidem his ver-  
 bis ad duo illa posteriora aduētus genera respē-  
 xisse. Non quod statuamus sanctissimum hunc  
 Dei virum, ex quo Rex a Deo datus est, aut ouē  
 Christi non fuisse amplius, aut officia verę ouis  
 Christi nec meminisse animo, nec studio reco-  
 luisse, nec opere præstitisse. Nam quis de tanto  
 viro tantum scelus cogitare possit, qui secun-  
 dum



dum cor Dei (vt scriptura loquitur) per illud  
 tempus inuentus est, & euectus ad regale cul-  
 men, singularibusq; de Christo promissioni-  
 bus supra omnes informatus, vt historia sacra,  
 & omnes ferme psalmsi testantur euidentissime?  
 Non quo etiam puremus, eos qui Reges aut  
 Principes a Deo dati sunt, sanctam illam cogi-  
 tationē, quod oues Christi sint ipsi & ouiuū of-  
 ficio teneantur, libere posse abicere. Quisquis  
 es, o bone Princeps, si in Ecclesia es, Christi o-  
 uis es. petens ab ipso pabulum & ductum, tan-  
 quam a pastore tuo fidelissimo, atq; a deo pro-  
 uidentissimo: sed quia præter communem illā  
 vocationem cum reliquo grege Christi, singu-  
 lari te vocatione honorauit, singularem quoq;  
 institutionem a Deo accipe, & cum exemplo,  
 tum sermone Dauidis te in hac causa institui  
 patere. Aduerte igitur aurem diligentissime ad  
 hunc sermonem lectissimi Regis, & de aduen-  
 tu Dei ad te singulari sic cogita, vt ad finalem  
 illum eadem respicias. Singulari aduentu Deus  
 ad suos administratos venit, non solum cum de  
 vocatione singulari primum instituit eos, verū  
 etiam cum in vocatione institutos ad particu-  
 lares actiones informare solet pro vocatione  
 ipsorum. Sic enim Dominus, exempli causa,  
 cum primum Simsonem vocaret ad liberatoris  
 munus, cœpit eum agere spiritu suo in castris  
 Danis: cum autem in ea vocatione aliqua par-  
 ticularis actio præstanda fuit, idem spiritus  
 Dei particulariter eum dicitur induisse. Ex hoc  
 igitur exemplo & consimilibus nos scriptura



docet, spiritu Dei habere opus singulos administratos eius, non tantum ad testificandum vocationem hominis, sed eo amplius ad singulares in vocatione ipsius actus & occupationes quasq; ne quid temere præter vocationem imperatam, ne in causa quidem singulari vlla committatur. Quapropter suis omnibus vocationem diuinam inituris Deus promissionem adiicit, vt Iosue 1. *Nam ero tecum*: tanquam si diceret, Nec mihi satis est semel te ad vocationem hanc admouisse, nec tibi satis, ad eam per me admoueri: sed hoc velim tibi persuadeas, certaq; fiducia hoc meum promissum amplectaris, me tibi adfore toto curriculo vocationis tuæ, & ad singulas eius partes indefinenter esse adstiturum spiritu & virtute mea. Quod si hoc promissum singulis vocationibus vel minimis coniunctum est, quid de amplissimis, grauissimis, honoratissimisq; dicturi sumus? Venit autem Deus, etiam finaliter, ad eos quibus hæ grauissimæ & honoratissimæ prouinciæ imponuntur, cum emenso vitæ istius mortalis spatio iubet eos vitam hanc cum morte commutare, vt rationes reddant vitæ & administrationis suæ coram tribunali ipsius, meliorem vitam in Christi gloria percepturi. Atq; hunc vtrumq; Dei aduentum ad se, respiciebat Dauid, cum his verbis coram Ecclesia vteretur: nempe edoctus optime piæ mentis officiū esse, vt tum ad præsens opus, tum ad finem operis animum aduerteret: Ad præsens, vt toto suæ functionis illius tempore, Dei cōsilio & manu præsentem vel singulis in



gulis in rebus ageretur: Ad finem operis, vt sancte & religiose sese compararet, tanquam rationem Domino auctori suæ vocationis redditurus: quæ res si fiat sero, vt nonnullis videri video sibi temere indulgentibus, at certo tamen futura est. Nam quid certius morte? quid maius iudice? quid grauius iudicio, nisi te ad expectationem illius reuoces certæ mortis cogitatione? Sanctissime itaq; Dauid hunc sibi proposuit cum in vita, tum in administratione modū, cum diceret, *Animaduertam via integra*, hoc est, in veritate & integritate conscientiæ, *quando venturus sis ad me*, siue quibus temporibus & occasionibus me voles, o Deus, informare in mea hac vocatione, spiritu & verbo singulariter, siue me ex hac vita recepturus es, vt rationem exigas administrationis meæ: semper attendam ad te, tuamq; manum obseruabo in administratione ducentem, & ex administratione educentem, vt caute & religiose ambulem ad finem vsq; vltimū vitæ & administrationis meæ. Hæc illa pietas vero principe digna: ex qua tanquam radice assurgit quidam surculus dico, an truncus? sanctus in Domino, vnde omnia officia administrationis sanctæ pullulāt, vt sequentibus verbis a Dauide enunciantur, integritas, & sancta prudentia. Integritatis, quam ad omne bonum integrum & alienum ab omni labe obseruandum, Propheta spondet Domino, argumentum his verbis exponitur, *Indefinenter ambulabo in integritate animi mei intra domum meam*. Nam his verbis Propheta noster illius integri-



tatis sedem, naturam, usum, & circumstantias in ea obseruandas exprimit manifestissime. quæ omnia nisi in vnum (vt ita dicamus) conuenerint, non potest iusta esse cuiusquam, vt cunque dicatur & prædicetur, integritas. vera enim sedes integritatis est animus: sed animus pius, ne quis res coniunctas diuellat temere (cum hæc conditio proxime antecesserit) qui animus pius ita ferruminatam & conglutinatam pietatem circumgestet secum, vt integer sit in sese, & pius integre. Nam quemadmodum in natura corporum solutio continui (vt appellant medici) plane inualetudo est naturam destruens, ita etiam solutio illius integritatis spiritualis, quam Deus infusa in mentes nostras pietate efficit, omnino mors animorum est. Humanus animus si integritate caret, non magis pietatem capit aut continet, quam dolium illud quod poetæ dixerunt Danaidum, fuit aquarum capax. quisquis animus integritate vacuus est, idem plenus rimarum est: & sanctissimus ille pietatis liquor si quando huic offertur, simul infunditur, simul effunditur. Atque hæc natura est integritatis illius, vt per illam cum animus sit integer in sese, & συνέχειαν siue continuitatem illam spiritalem habeat, quam adumbrauimus rerum corporearum similitudine, tum vt quas cunque res foris animus percipit, eas sic adinet sibi, vt interitus vnus (quod aiunt) interitus sit alterius, nisi Deus singulari gratia dissolutionem illam & rimas animi curauerit. Quamobrem



obrem commodissime Apostolus, postquam fidem, quæ pietatis est, cum bona conscientia, quæ integritatis, coniunxisset scribens ad Timotheum, his verbis utitur, *Expulsa bona conscientia fieri naufragium fidei*: quia bona conscientia velut alueus est aut nauigiolum, in quo fides collocata supernatat, nec procellis vnquam deiicitur: quæ si malitiæ rimis & fissuris dissoluitur, actum est de fide illico. Quod si boni Principis est primarium & præstantissimum officium illud, vt pietatem seruet, quanta dementia est, si quis integritatem & bonam conscientiam posse a Principe poni putauerit? quod tamen hodie nonnulli dicunt, præcones scilicet sapientiæ: quorum perditio iusta. Bonum Principem & pium esse volo in conscientia, & bonam conscientiam ad pietatem veram tenendâ colere: sin minus, nec bonus ille sine pietate, quamuis simplice conscientia; nec sine integritate, quamuis instructus pietatis specie, dicendus est. Enimvero quâ tandem fieri illud potest vt integritatem quisquam, nedum Princeps oculis omnium expositus, ad iustum legitimumque vsum reuocet, nisi hunc modum integritatis in pietate coluerit? Vsus est, inquit Propheta, huius pietatis diuinæ & integritatis meæ, vt in ea ambulem: facturum spõ deo. Hunc vsum ab optimis quibusq; Principibus seruari vult Deus, Propheta exemplo & sermone docet. Atqui sine pietate quisquis est, siue priuatus, siue princeps, viuēs mortuus est,



## P R I N C I P I S

de viduis dicebat Paulus: sine integritate quisquis est, partibus tanquam solutis est; proxime interitum, vt confectum corpus: proxime naufragium, vt plena rimarum nauis. hoc corpus, etiam Principis, quomodo ambulet? hoc nauigium, quamuis speciosissimum, quomodo in aquis fluitet, seq; ab interitu vindicet? nedū populares, quorum procuratori ad salutem ipsorum Princeps præfectus est. Bonum igitur Principem sibi primum, & suo bono ambulare velim in hac integritate animi, quam Dauid religiose spondebat Domino. alioquin sibi si non est utilis, quomodo aliis esse posset? si ambulare per se non potest, quomodo præeat ambulanti- bus, quibus est dux & antecessor datus? His ad- dantur, si placet, circumstantiæ, quibus veluti cancellis seipsum voluit circumclusum Psaltes: *Indefinenter*, inquit, *ambulabo etiam in domo mea.* tanquam si diceret, non committam in re aut actione vlla, vilo tempore aut loco, vt mea integritas absistat a me: ad omnia, atq; per omnia eam adhibebo. Quid tu mihi, vane (vt appellari vis) politice Proteum magis Principem dilaudas, quam imitatorem Dauidis nostri? hic nulla in re, nulla actione ab integritate statuit discedere: hic nullo tempore integritati renunciauit: hic ne intra domum quidem suam & priuatos parietes integritatem duxit seponi oportere: indefinenter ambulauit in ea: in ipsis domus suæ penetralibus coluit, fouit, & curauit eam. apage ista scelera & labes humani generis, qui bonum Principem aliter fingendum putant, quam

quam



quam is olim fuit de quo scriptura prædicat honorificentissime, hominem secundum cor domini exstitisse. Non potest hic Deo placuisse, & ille placere quem instituis, Proteu: Nam Deus idem est & constantissimus, nec vlla opinione, sermone, optato, facto ad libidinem animi nostri mutari potest. Has igitur circumstantias a bono Principe religiose expendi cupio, & sancte obseruari, vt pietate duce, & bona conscientia comite ambulans honoret Deum, a quo suos honores adeptus est. Hunc honorem quisquis princeps Deo habiturus est, promissiones illius pietatis ad vitam præsentem & futuram factas a Domino Deo veritatis & integritatis obtinebit: vt contra, quisquis non fecerit, eum cogitare opus est rem sibi cum Deo pietatis & integritatis auctore tandem aliquando futurã; Deum vero (vt est simplicissimus, ipsaq; pietas atq; integritas) nihil cum hominibus a pietate & integritate alienis consortii aut communio- nis esse habiturum: Nam, vt ait sapiens, *qui ambulat in integritate, ambulat secure.*

*3 Non proponam mihi, ob oculos verbum hominis nequam: factum declinantium odi, non adhaerebit mihi.*

*4 Animus peruersus recedet a me: malum non cognoscam.*

Restat locus tertius de prudentia illa sancta & ciuili, qua bonus Princeps bonum in integritate colens, sibi cauet & prospicit diligentissime aduersus mala foris irruentia, quibus illa



pietas & integritas labefactari solet in iis qui temere & imprudenter ambulant. Eius prudentiæ modus a Propheta duobus versibus exponitur, tertio, & quarto: quorum priore, prudentia in rebus externis; posteriore vero internis adhibenda a bono Principe ostenditur. In rebus externis, prout ad malum proclivis est natura nostra, facile existit occasio pietatis & bonæ conscientiæ occupandæ sermone & factis, nisi prudentia sancta se Princeps circummunierit. Nam quo plura illi obversantur, & in dies, in horas, atq; momenta obtruduntur, eo plus periclitatur pietas & conscientia in bono Principe, tanquam aduersis ventorum inter se colluctantium flatibus, & periculosis procellis agitata. Hoc itaq; malum cum sibi quoq; minari ab omni parte Dauid animaduerneret, studium suum in ea re totum spondet occupatum iri, vt ab illis omnibus incommodis, habens fidem & bonam conscientiam, caueat sibi quam prudentissime. Nam primum se daturum operam, ne impiorum & malitiosorum hominum sermones hæreant animo ipsius, profitetur dicens, *Non proponam mihi ob oculos verbum hominis nequam*: secundo seruaturum se a factis integrum testatur, dicens, *Factum declinantium odi, non adharebit mihi*. tum non solum externis malis abstenturum, sed etiam ab internis sibi prospecturum & animo & cogitatione spondet versu 4. de animo dicens, *Animus peruersus recedet a me*: de cogitatione vero, *Malum non agnoscam*. Atq; hæc quidem

dem



dem omnia sic in homine a natura insunt, vt  
vel occasione leuissima & nullo negotio ad ma-  
lum sermone, facto, animo, & cogitatione pro-  
pellatur. Qui enim sibi a malo caueat, qui ipse  
est in malo positus? & qui suo ipsius malo fra-  
ctus, victus, prostratus iacet, quo tandem mo-  
do obsistat foris aduenienti? sed hic nobis ante  
oculos David ponendus est, non vt animalis  
homo fuit, sed prout spiritualis effectus per Dei  
gratiam: qui iam ante fundamenta iecisset fidei  
& bonæ conscientiae, & qui certo cum animo  
suo planeq; statuisset via integra animaduerte-  
re, quando cunq; ad se Dominus venturus es-  
set. cum enim se aduentum Domini observa-  
turum diceret, ex contrario certum ipsi deli-  
beratumq; fuit sic operam dare sanctimoniae  
secundum Deum, vt religiosa prudentia omnia  
opera carnis intus & foris a se auerteret, &  
quamuis circumfidentia vndique animum i-  
pſius, fortiter aberceret. Ac primum quidem  
periculum, quod bono Principi insidiatur pas-  
sim, est a lingua sermonibusq; malignorū & sce-  
leratorum hominū, qui lenitate summa vene-  
num suum (vt dicebat Iob) sub lingua latens  
mentibus procerū solent infundere. Stipantur  
Principes tineis & blattis palatii, in alios inui-  
dis, in Principes blandis, in se propēsis supra mo-  
dū, vt suæ ambitioni, auaritiæ, libidinib. q; serui-  
ant; in omnes vero speciem studii & amoris præ-  
se ferentib. quam mendacissime: qui cum nihil  
minus quam Principem, nihil tantopere quam  
principatū ament, tamen omnia dies & noctes  
Principis studio cogitare, velle, spirare, loqui,



curare, facere, mouere sese gloriantur, & ita videri volunt: Nefarii homines, nemini ad præsens vtiles, & sibi ipsis plerunq; in futurum exiabiiles, Deo hominibusq; inuisi: quorum verba sagittæ acutæ sunt (vt idē Psaltes loquitur) & vno ictu sæpe multorum corpora transuerberant, adeoq; salutem publicam perdunt, nisi sancta prudentia boni Principes præcauerint. Optime autem præcauebunt, si amuletum illud assidue circumgestauerint, *Animaduertam via integra quando sis venturus ad me.* id est, si testē iudicemq; rerum istarum Dominum adhibuerint. Semper enim circumspectus Princeps, si ad hunc lydium lapidem nefariorum hominū, qui ipsum appetunt, verba probauerit, certo deprehensurus est aut cum veritate Dei pugnare illa, quod impium, aut cum charitate in proximum publice priuatimq;, quod inhumanum, aut cum honestate Principis aut reip. populariumq; ipsius, quod turpe, & a vero iustoq; (cuius Principem custodem oportet esse) quam longissime dissidere. Sermones itaq; omnes eiusmodi optime constituit psaltes se sibi ante oculos non propositurum: id est, ne vel minimo quidem nutu aut probaturum in sese, aut probare significaturum; ac ne simulaturum quidem, sed animum suum eos tanta fide diligentiaq; refugiturum, vt apud ipsum nec insidere, nec morari vnquam patiatur. Hanc religionem prudentiamq; cauendis sermonibus, sequitur altera, in cauendis factis operibusq; eiusmodi: *Factum, inquit, declinantium odi: non adharere-*



*adharebit mihi.* In hac autem propositione duo a Propheta libere prædicantur aduersus ea quæ viri declinantes faciunt: prout hominis prudentis officium in his duabus rebus occupatur, tum vt facta illa oderit, tum vt ab iis absteat plane. Hoc dictum vt melius intelligatur, videndum nobis est, quos declinantes, quod factum illorum Psaltes his verbis notauerit. Declinantes igitur a Propheta ij proprie appellantur, qui neq; ad iustum finem, neq; iustis modis aut iusto itinere contendunt ad finem; aut si in utroq; minime aberrant, saltem in alterutro; finem metamq; iustam, aut iter ad metam relinquentes. Hanc vero circumscriptionem non est cur aliunde petamus e longinquo, aut alios scripturæ locos accumulemus, ad metam hanc & iter illius cognoscendum, ad quam quicumq; spectant, recti; quicumq; ad alia, declinantes appellantur. Dauidem ipsum audiamus: & quia finem modūq; sibi propositū pauculis verbis ante commonstrauit, ex huius recti hominis constitutione viam declinantium agnoscamus. Dauidi enim, vt recto cui libet, finis ille obuersatus est quem paulo ante enunciauit, dicens, *Tibi, o Iehoua psallam.* viam autem modumq; hominis recti circumsepsit duabus quasi sepibus, & cancellis definiuit, pietate seu fide, & integritate conscientiæ; cum diceret, *Animaduertam via integra, quando venturus sis ad me &c.* Hi rectis omnibus, hi tibi quisquis es, o bone princeps, fines & modi & a Deo circūscripti sunt. finem tenes, si te contines in testi-



ficanda Dei gloria: viam tenes certo ad finem peruenturus, si duabus sepibus, pietatis & integritatis, vltro teipsum circumcluseris, neq; dextrorsum aut sinistrorsum ab his cancellis salutaribus deflexeris. In hæc si institeris, iamne vides qui declinantes sint? & qui a Propheta nomine isto defigantur? Nam si non declinat a fine qui ad gloriam Dei, vt summum finem salutatemque, contendit, omnino qui aliorum tendit, declinare dicendus est: Si iustam viam rectamque insistit coram Domino, qui in pietate & integritate committit se fidei & ductui Domini, certe qui aliam viam affectat, etiam declinaturus est. Quod si duo illa coire in vnum virum bonum necesse est, pietatem & conscientiam puram, qui vel harum alteram deserit, in declinantium numero habebitur. Hi ergo illi declinantes sunt, in quos Propheeta nos iubet aciem mentis nostræ configere, vt ab illis caueamus: ab illis autem? imo vero a factis ipsorum. Nam alioquin (vt optime Corinthios monebat Paulus) ex hoc mundo nos exire oporteret, cum vbicunque locorum simus, circumstet nos frequentia declinantium. Optime itaq; Psaltes factum declinantium potius coniunctim dixit, cauitque prudentissime ne simpliciter & vno verbo declinantes appellaret. Quid? quod Hebræa proprietate non simpliciter factum declinantium notari voluit, sed magis *facere declinantium*, vt actiones ipsas declinantes, non autem actiones quasuis hominum declinantium perstringeret?

geret?



geret? Nam declinantium alii declinant habitu, atque hos scriptura proprie Peccatores vocat: Alii vero declinant actu aliquo singulari, puta in hoc aut illo opere, atque huc etiam boni abripiuntur, siue inscientia, siue infirmitate carnis. Cum ergo omnes promiscue declinare contingat opere, non personas, sed opera personarum quâ declinant, Propheta voluit intelligi: ac propterea Hebræo sermone *facere declinantium* dictum potius voluit, vt eorum factum in quo declinant, ac non amplius intelligeremus. Hoc igitur obiectum est, de quo Propheta duo enunciat distincte ad testandam internam constitutionem suam in exemplis huiusmodi: Vnum, ea sibi odio esse: Alterum, sibi non adhærescere: quorum prius causa posterioris est, vtriusque vero causa in pietate & bona conscientia ante est posita. Ac primum quidem qui rectam illam constitutionem amant quæ a Propheta principio fuit exposita, ij non possunt quin aduersam oderint. Nam amare bonum, & odisse malum quod bono illi repugnat in eodem genere, ita coniuncta sunt, vt diuelli inter se non possint. quod si hominibus singulis a natura hic sensus impressus est, quid fiet Christiano homine? qui amorem Dei, id est, pietatem, non imperfectum, sed perfectissimum absolutissimumq; sibi nouit imperari lege. *diliges, inquit, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua &c.* de charitate in proximum iudicium idem. Quod si nihil vacui amore Dei & proximi in mentibus piorum oportet



exsistere, ubi amor mali, obsecro, conquiescat? Bene igitur & sancte Propheta noster se affirmat odisse factum declinantium, id est. tam odisse malum quam bonum diligit. Sed caue tu, Christiane, quisquis es, ut odio malefacti ad odium transeas malefici. non hæc charitatis ratio, quæ etiam peccatorum multitudinem obteggit, quæ fert omnia, quæ sperat omnia, quæ declinantem ita miseratur animo, ut sermonibus, factis, exemplis a declinatione & aberratione ipsius ad viam reuocet Christiana sollicitudine. Et Psaltes hic noster non ita loquitur, *declinantes odi*: sed maxima verborum accurate circumspicte vtens, id solum quod declinantes inter declinandum faciunt, odio sibi esse pronunciat. Atq; hæc bonum Principem summo studio, si sapit, oportet imbibere. Nam Princeps ut malefactis amplius offenditur, ita facile, quia amplius potest, ad odium eorum qui declinant ab officio suo abripitur, nisi virtutem illam vere principalem, quam primo loco Propheta nominauit, benignitatem atque clementiam prælucere a se omnibus voluerit. Deinde quam multi accedunt, qui odia in mentibus Principum excitent, inflamment, augeant, & dum grauissime declinant susurrone isti, fingunt se in declinantes agere? egregij scilicet iuris & iustitiæ mystæ. Quanto rectius Dauid iudicium suum de hominibus ex lege charitatis temperans, de factis solum declinantibus fert sententiam suam, ea sibi odio esse, ac proinde bonis consimiliter odio esse oportere? Ex

re? Ex



re? Ex hoc autem animi affectu sequitur effectū alterum, *Non adhaerebit mihi*, nimirum opus declinantium, quod proxime attigerat: pro eo quod est, ex facto non est me vnquam affecturum. Nam nihil tam facile agglutinatur viro, quam peccatū quod hic periphrastice factum declinantium appellatur, quia simile simili gaudet, vt vulgo dicitur. Quapropter etiam Apostolus ad Hebræos 12. scribens cum peccati meminit, auget Epitheto, dicens procliue illud esse ad nos circumcingēdos & implicandos in omnes partes. Adhæret autem peccatum nobis, rei q; sumus illius coram Domino, non solum cum opere illud committimus, sermone efferimus, animo comprobamus, mente consentimus, aut quocunque modo animis funestam illam radicem concupiscentiæ, ex qua peccatum gignitur, alimus fouemusque in nobis, vt de qualitate illa deprauata naturæ nostræ nihil dicamus: sed etiam si aut labem peccati & contagionem feramus ipsi, aut a specie illius non abstinenceamus. Non solum, inquam, nos a peccato opus est abstinere in nobis, sed etiam aliorum contagium qui peccant fugere, & occasionem peccandi aliis præcidere, quæ plerunque specie aliqua peccati, quamuis citra peccatum, imperitis obtruditur. hæ leges Christiani, in quibus totam vitam oportet occupari: hæ popularis & priuati cuiusque: hæ magistratus publici: hæ denique Principis & regis potentissimi, cuius potestas a Deo est, non qua abutatur in Deum aut proximum, sed qua vta-



tur secundum Deum ad utilitatem proximi & reipublicæ. Hic demum vere principalis & regius est animus, qui Davidi sese religiose conformans, nec peccatum suum sibi adhærescere, nec se alieni contagione infici, nec alienum specie proritari a se factoque suo patietur. Cū autem istud prudentiæ opus in rebus externis non possit occupari, aut stabilitatem vllam & constāriam obtinere, nisi a fonte interno prudentiæ profluxerit: propterea ab externis illis operibus ad internam constitutionem decurrens Psaltes, vt fontem purum exundantem foras puris operibus se asseruaturum quam diligentissime restatur his verbis, *Animus peruersus recedet a me: malum non cognoscam*: pro eo quod est, hæc quæ modo dixi vt re ipsa præstem & prudenter ambulem coram hominibus, animum & mentem, id est, voluntatem & intellectum meum ab omnibus sordibus & inquinamentis, vndecunque oblata fuerint, religiosissime vindicabo, & ab innatis malis, quoad eius fieri poterit, repurgabo, exuens veterem hominem cum eius concupiscentiis, & renouationem colens mentis meæ in iustitia & sanctitate veritatis. Hæc autem cum spondet Propheta, non obscure docet, hic duo impedimenta esse quibus animus a recto, mens a recti notitia & comprehensione abducitur. Nam primum est innata in nobis deprauatio, qua neque rectum animo, neque verum mente amplectimur, ex quo primorum parentum labe natura nostra tam misere labefactata est.

Cumq;



Cumque & voluntatis & mentis ea primū in Adamo cōstitutio esset, vt quasi truncus ex sese pullulans surculum hunc bonū, illum malum posset protrudere, factum est peccato illius, vt bonus surculus succideretur, malus & corruptus sua opera inde ab eo tempore in homine procreauit mala. Deinde vero cum huic malo partui accedant foris pessimi fomites, & irritamenta malorum noua, quis non videt quanto pere exundent mala in singulis hominib. malo innato & aduentitio cumulatis? Quæ cum ita sint, conscius David naturalis illius rationis, quā homo in malo positus & ad malum proritatus non potest nō ferri in malum omni tempore: & illud præterea expendens cum animo suo, quo plures occupationes & occasiones homini sese ingerunt ( fit autem hoc Principi) eo plus periculorum circumstare & circumstidere hominem, & ( quod grauius est ) eo plus malorum ab ipso in alios exundare posse: testatur se omnibus modis daturum operam, vt certa prudentia caueat ab illo vtroque malo: & innatum malum voluntati suæ, vt recedat; aduentitium vt depellatur, quam diligentissime effecturum. Vide autem Davidis nostri prudentiam in Christiana Principis, quem informat exemplo suo, prudentia enuncianda. Non dicit animum recessurum a se, pro eo quod est, se mollem, segnem, inertem, aut immorientem voluptatibus fore: quam vitam præposterè hoc nostro seculo plerique vitam principalem putant. Neque dicit animum mal-



simpliciter : Nam quis homo in hac mortali  
vita plane careat malo ? aut ita circumspecte  
viuat, vt nunquam animus malus alterius ag-  
grediatur ipsum? sed *animum peruersum* dicit, vt  
omnes suo exemplo doceat, esse quidem ma-  
lum nobis a natura animum, nec posse fieri  
quin experiatur malum : sed in hoc malo no-  
stro videndum nobis esse, ne regnet peccatum  
& dominetur in nobis : qui dominatus peccati  
si quibus inest, horum animus non simpliciter  
malus, sed peruersus appellatur in scripturis  
passim. Sic enim se habet dominatus peccati,  
vt quisquis tenetur eo, nunquam rectam infi-  
stat viam, sed hic latebras, illic anfractus, ad o-  
mnia autem vias peruersas affectet : quod ma-  
lum omnibus quidem indignum est, & seue-  
rissime interdicitur a Domino : sed in iis qui  
plurimum possunt, quia plurimum nocent, est  
maximopere metuendum. Hunc autem animū  
purgaturus Dauid, & ab omni peruersitate ad-  
uentitia strenue defensurus, non potuit *ἐμφασι-  
κώτερον* hoc suum officium asserere, quam cum  
his verbis vteretur, *recedet a me* : tanquam si di-  
ceret, tanta pietate studioque incumbam re-  
cto, vt me velut tacente illud ipsum malum &  
peruersitas longe fugiat a me, vltroque animū  
meum refugiat : tanta erit euidencia, tanta lux  
puritatis meæ, vt peruersitati eiiciendæ non sit  
opus furca aut labore magno, sed quicumque  
peruersitate instructi se mihi instillaturos per-  
uersitatem suam putauerint, ij refugiant vltro  
explorata animi mei æquitate. Notum est illud  
cuius.



cuiusdam Atheniensis dictū; qui audiens prædicari plurimum Agidis Spartani bonitatem, respondit, *Quo modo bonus esset qui non repellit malos?* hoc igitur in vero principe elogium bonitatis est, quod rectum sic instituit in animo suo, ut res malæ diffugiant ultro: & quod vsq; adeo rectum in animo radicatum esse demonstrat, ut nemo peruersus peruersi quicquam ausit ad-mouere, quo rectum illius animum arietet, sed contra recedat cum sua peruersitate, male sibi metuēs & peruersitati suæ. Quid vero, quod nō tantum animum, sed mentem quoque puram sibi adfore profiteretur Psaltes? cum dicit, *malum non cognoscam*: ne mihi quidem in mentem veniet cognoscendi mali: adeo scientiæ boni inuigilaturus sum, omnemq; operam in ea consumpturus. O purgatissimum Regis & Principis fontem, cum animo & mente seu voluntate & intelligentia sic abhorret a peruerso & malo, ut quod bonum, iustum, & sanctum est, id solum affectet, ei soli studeat, id cognoscat solum, cætera ut principe indigna refugiat. Contra vero, quam impurus in se, quam insalubris aliis fons apud principem esse dicendus est, qui peruersitate voluntatis & veri inscientia abundās solum, nihil nisi peruersitatem & inscientiam cum in miseros populares tum in alios eructauerit. Nam hæc duo sunt rebus bene gerendis necessaria lumina, volūtas recta, & mens recte verum a falso diiudicās. horum alterū si a Principe ademeris, respub. misera est: si vtrumque, miserrima. Quid enim cæcus bene viderit? quid



animo perturbatus recte cupiat? Compositam mentem & sedatum animum in recto & vero sibi ipse præcepit David: eadem quoq; præcipit omnibus Principibus exemplo suo: & nos hortamur, & optamus illis in Domino, vt beati in se pro modulo huius vitæ beatam videant suam, & beata vtantur republicâ. Nam quod illi in se habituri sunt æqui boni, & veri, si in alios pro suo iure & auctoritate contulerint, non potest non adesse vtrisque certissima Dei benedictio. Nunc itaque quod secundum est in hoc Psalmo, de eo quod boni Reges & Principes in alios procurant, videamus.

*5 Lingua ledentem apud me clam proximū suum, ipsum exscindam: elatum oculis, & tumorem animo, istum non potero ferre.*

Postquam igitur de iusta sanctaq; sui constitutione, & Principum omnium in sese informatione Psaltes locutus est, vt adhuc explicauimus, nunc demum alteram partem aggreditur de suo officio in alios ad iustam & sanctam constitutionem regni: qua in parte trib. summam locis rem totam concludit, ex quibus regnorum & principatum, quantum quidem in rebus humanis obtineri potest, quodammodo pendere videtur felicitas. Primus locus est de omnibus regem accedentibus: secundus, de ministris atque domesticis: tertius denique, de omnib. promiscue in regno agentibus, in quos singularia sua munera officiaque distribuit David sapientissime. De accedentibus  
Regem,



Regem, versu 5. de administris atque domesticis, versu 6. & 7. de omnibus vero in regno agentibus, versu ultimo suæ sententiæ existant: atque hæc omnes communi fine concluduntur, de quo suo in loco dicturi sumus. De iis autem qui Regem accessuri sunt, vt suo ordine omnia percurramus, hæc David enunciat, *Lingua ledentem apud me clam proximum suum, ipsum exscindam; Elatum oculis & tumentem animo, istum non poterò ferre.* Sensus est: duplex est non solum in aulis & comitatu principum, sed in toto regno atque principatu pestis & morbus epidemicus eo usque grassans, vt ipsos principes & reges, quo altius supra omnes euecti sunt, eo amplius afficiat inficiatque, nisi singulari Dei gratia circummuniatur, & omnem suam prudentiam, diligentiam, operam, laborem, atque industriam ipsi hæc in re occupauerint, vt ab ista peste utraque liberentur. Prioris pestis nomen est, Detractio atque Calumnia, qua in alios plerique infesti sunt, & infensi feruntur iniquissime: posterioris vero pestis nomen est Ambitio & Fastus, quo inflati quamplurimi alios præ se homines non putant, & omnia in rem suam honoremq; verti summa vanitate statuunt oportere. De priore genere, quo modo sibi sit cauturus David, vt principes doceat, *Lingua ledentem*, inquit, *apud me clam proximum suum, ipsum exscindam*: quasi dicat, Ad duo attendam maxime, quæ opus sunt in hac administratione mea: Vnum, vt illos cognoscam; Alterum, vt reiectos & euiectos multem, prout iuris postulabit



ratio. Detractorum igitur & Calumniantium hæc circumscriptio est, quod *linguâ lædunt apud alios clam proximos suos*: quibus verbis singulis sua insunt pondera indignitatem facti istius optime demonstrantia. Nam primum lingua lædere, inhumanum est: tum proximum lædere, indignissimum: lædere clam, turpissimum: lædere apud alios, iniquissimum: sed apud Reges & Principes, in quorum odio & ira potestas vitæ & necis sita est, vt sapiens in Prouerbiis dicebat, id impiorum hominum videtur esse, imagini Dei, quæ in Principibus emicat, illudentium. Hæc igitur omnia paucis contraxit Psaltes, præite volens exemplo suo omnibus Principibus, vt quam diligentissime recognoscerent illi eorum sermones qui ipsos accessuri sunt. Ac primum quidem de lingua notum est illud Iacobi, *Per illam benedicimus Deo, & per illam maledicimus hominibus qui ad imaginem Dei facti sunt, &c.* Hoc autem factum, vide quam sit a natura alienum. Lingua homini fuit indita, vt alter alteri pro sit communicatione mentis suæ. Quisquis ergo alterum lingua lædit, bifariam contra naturam venit: tum quod ea parte lædit quæ ad iuuandum data est, tum quod apud alterum lædit, quam apud eum quem læsurus esset salutariter. Lingua enim si apud eum qui offendit vtaris, non lædit, sed curat: sin autem lædit sensum illius, at lædit tamen salutariter, tanquam balsamo ex ore iusti appposito: Quod si non salutariter, in ipso a groto vitium est, tu defunctus fueris officio tuo. At quantum vtrumque  
hoc



hoc malum est? quod nec curatur æger, nec iuatur quisquam, sed alter in vulneris eiusdem confortium indigno linguæ maleficio perducitur. Quod si in eo conquiesceret hominis maleficio, vt rem creatam alienam a se offenderet, seq; hominem esse recordatus, & nihil humani a te aut aliis esse alienum putans, in res alias imprudens irrueret, quæ tantam cum ipso non habent necessitudinem: tolerabilius fortasse crimen futurum esset. At quisquis hominem lingua appetit, proximum appetit: Nam homo homini est proximus, & homo proximum suum tanquam seipsum, tenetur diligere. Proximus est natura: Nam species vna est. leonum autem feritas (vt Plinii vtamur verbis) non petit leones, nec serpentum virus in serpentibus facile cruentatur: & tu homo, qui animantibus cæteris te antestare iudicas bonorum copia, qua fronte malis in speciem tuam eiaculandis superari eas a te posse putaueris? Nam quod antestas illis, id commune speciei decus est: Et quemadmodum equorum species vermibus, & species leonum muscis eo prestat, quod hic leo est, & illa musca secundum speciem, non autem quod hic aut ille leo sit respectu singularis sui indiuidui: Sic etiam homo secundam speciem antestat cæteris. Cur autem? Quia tum natura, tum gratia ad naturam accedente, est plane aliud, quam res creata vlla. Natura: Nam factus est ad imaginem Dei, quo vno dicto comprehendi omnia volo, quæ ad naturalem hominis dignitatem asserendam



conferri possunt. Gratia : Nam homo, quamuis in se & a se perditus, in Deo tamen omnia non solum amissa bona, sed ampliora etiam redhibet: Quod si nondum recepit in se, at ei tamen tam certo exhibentur, quam si opere iamque redhiberet. Omnes enim vocantur, non quidem efficaciter, sed vere tamen, ad vnum Deum, vnam fidem vnum baptisma, vnum Dominum, vnum Spiritum, vnam spem vocacionis nostræ, vnamq; hæreditatem in cælis. His bonis instructus qui alterum iisdem bonis instructum lædit. Deus bone, quam multis sceleribus in vnum crimen coëuntibus seipsum inquinat! præsertim ex quo per Dei doctrinam didicit, alterum alteri non loco, non coniunctione solum carnis & sanguinis, sed specie & propriis speciei suæ ornamentis proximum effectum esse. Quid vero, quod lædentium alii plus aliis nocet pro natura circumstantiarum, vt vocant, quæ læsionibus & offensis plurimum ponderis adferunt? Nam tum in personis, tum in modis & rationibus offensarum est delectus maximus. In personis: quia sic quidem est a natura comparatum, vt eum ipsum qui aut offendit, aut videtur offendisse, secundum charitatem & ordinem accedamus, & vbi natum est peccatum ( vt optime dicebat Augustinus ) ibi extinguamus; ibi curemus abscessum, vbi fecit vitium. sed cum defertur alio, pro eo quod medicina facienda esset, fit ruptura alia grauis, alia non item; sed tamen pleræq; magno malo nostro immedicabiles, pro ratione personarum quibus



quibus hæc reteguntur mala. Nam quoties reteguntur, aut apud eos fit quorum nihil interest, aut apud eos quorum videtur interesse. Si nihil eorum interest, certe nec interest nostra ad eos referre: ac proinde aut imprudens leuitas diducit vulnus, aut malus animus & cupiditate nocendi inflammatus: quorum neutrum natura, neutrum Dei auctoritate aut bonorum exemplis defendi potest. Nam huius rei quis tandem euentus, nisi quod ex leui malo conficitur graue, ex sanabili vulnere insanabile? Quod si eorum interest ad quos defertur malum, ideo fit, credo, quod ius aut in personas habent, aut in eam rem in qua offensa contracta est. Verumtamen ne in hoc quidem exemplo semper indicium offensa apud illos est necessarium. Nam quid si res leuis est, in quam vitium factum possit nullo ferme negotio intermori? aut quid si res eiusmodi est, vt ab eo ipso qui offendit, facile curari possit, atq; compensari, sine eorum quorum interest conscientia? Exempli causa, filius bonam horam male perdidit, seruus operam quam debuit præstare minime præstiterit. Quis Demea tam acerbus futurus est, aut ab humanitate alienus, qui statim accurrat ad patrem aut ad dominum, cum rem aut leuem esse, aut per filium famulumq; commode curari posse cognouerit? hic omnino præstat dissimulare apud illum, quam reuelare factum: quia plus nocitura esset exacerbatio patris aut domini, quam conscientia facti profutura. sed cuiusq; prurit aut titillat lin-



gua, is ea sane utatur apud auctorem facti, eum-  
 que moneat Christiano officio: Sic bonum of-  
 ficiam humanumq; fecerit. Sin autem res eius-  
 modi sunt, quæ ad has personas iure deferan-  
 tur, & ita attineat fieri, hic alia demum officii  
 ratio est quam Psaltes hoc loco perstringi no-  
 luit. Nam & liberorum facta parentibus, & fa-  
 milia dominis, & popularium Regibus Princi-  
 pibusq; opus est indicari, cum ita eorum inter-  
 est, ut nocitura sit ipsis dissimulatio, & indica-  
 tio profutura ad curationem vitæ. Hæc enim  
 profecto non læsio aut offensio, sed curatio di-  
 cenda est atq; defensio a grauiore malo. De hac  
 nihil hoc loco Psaltes, sed de illis antecedenti-  
 bus: ostendens se ab imprudentibus, aut insci-  
 entibus, aut impudentibus, aut malitiosis ho-  
 minibus delationes non esse accepturum: hanc  
 facilitatem Regibus indignam esse, quorum au-  
 res omnibus æquas præberi ex officio necesse  
 est, sed a delatoribus & quadruplatoribus re-  
 fugere, vel potius odiosas ranas istas fugare a se  
 longissime. In modo autem duplex peccatum  
 est. Nam qui læduntur lingua, aut læduntur co-  
 ram ab impudentibus & perfrixtæ frontis ho-  
 minibus (cuiusmodi Fannius ille fuit, qui cum  
 Scipionem grauius pugionis ictu vulnerauis-  
 set, postridie nomen eius se ad iudices delaturum  
 prædicabat, quod ea nocte non esset extin-  
 ctus, tanquam si aliquo maleficio illius aut ar-  
 te mala fuisset effectum, ne ictu illo occideret)  
 aut etiam læduntur clam: nempe cum apud ali-  
 os nomina ipsorum, inscientibus ipsis, aut non  
 ani-



animaduertentibus (vt plerunq; *ἄεως* aulici faciunt) deferuntur. Harum vero delationum illud quidem genus non ita videtur improbum, si ad modum respiciamus illius, atq; hoc posterius: sed vtrumq; tamen est in vitio maxime, nec vlla specie aut ratione commoda potest excusari. Ad hoc itaq; genus quod magis vitiosum est, animū aduertens Psaltes, & nefarios illos suffrones, *ἠτακούς αἰς, ἢ ἀπειχύντας* notans, testatur palam se ab illis summa diligētia & fide abstenturum, & (quod grauius est) non solum aures suas, verum etiam fores & aditus omnes, qui veteratoria multorū arte, peiore euentu, consilio pessimo ad Principes sterni solent, ita præclusurum, vt isti ipsi artifices & concinnatores technarum ex aula ipsius & comitatu vniuerso tanquam excisi videantur: adeo insignis & euidentis futura erat Regis ab illis abalienatio. Atque hoc quidem tantum bonum si vlla virtute humanæ prudentiæ obtineri vnquam ab vllō potuisset, non dubium est, quin hic ipse Rex incredibili virtute a natura præ aliis quam plurimis instructus, in hac laude consequenda merito suo aliis plurimum præstitisset. Cum autem ferme in principio huius psalmi se via integra animaduersurum professus est quando se venturus ad ipsum Dominus, omnem omnino laudem præripuit sibi, vt Deo auctori & donatori huius prudentiæ omnia tribueret. Petendum igitur ab illo est: petendum, quia opus est: ab illo petendum, quia donum illius est, gratiose in bonos quosque Principes, qui petiuerint.



erogandum. Nam illis æque data est atq; aliis promissio, *Quærite, & inuenietis: Petite, & dabitur vobis: pulsate, & aperietur.* Sunt regna & principatus, hæc successione naturæ, illa electionis voluntate hominibus attributa: Sed hæc sapientia Regibus & principibus magis quam regna ipsa sunt necessaria: hæc neq; a natura, neq; ab humana electione sunt, sed a Deo Patre luminum, & omnis bonæ donationis auctore: huius fores pulsandæ sunt ab illis, & aures illorum pulsandæ mentesq; instituendæ a Domino: vt bonum prudentiæ ab illo acceptum, & suæ fidei commissum, præsertim in hoc casu (vbi delatio facillime fucum facit, speciemq; recti, utilis, & honesti induit) occupare possit. De altera carie maxima ædificia, palatia & aulas Principum plurimum exedente, videamus. *E-latum oculis,* inquit Psaltes, *& tumens animo, istum non potero ferre.* Vitium, inquit, exedens Reges & comitatus procerum, est homo elatus oculis & tumens animo. Modus vero curationis est, vt istum nec ferat ex facto Princeps, nec animo ferre possit: hæc summa sermonis illius. Vt itaq; huic ipsum ordinem, quem præmonstrat David, teneamus, de vitioso isto hominum genere ante nobis dicendum est, quam de curatione ab illo instituta. Hoc perniciosum venenatumq; hominum genus, quod perinde aulis & comitatu procerum ac clauis seu patellæ, & fungi arboribus adnasci solet, duobus modis a Propheta describitur, dispositione vel specie externa, & interno habitu. Externæ speciei  
dispo



dispositionem homines qui non obscure demonstrent, recordatur Psaltes, cum dixit, *Elatum oculis*: Internum vero habitum, velut grauiorem, per incrementum subiicit, dicens, *Latum corde, vel tumens animo*. Ac prius quidem (vt volunt Physiognomonici) naturalem inclinationem plurimum denotat. Nam quorum oculi ita sunt elati, eorum animum statuunt oculorum elatione indicari: prout frons hominis est vultus index. Ex quo fit, vt qui natura elati sunt, a natura elationis indicium circumgestent secum: Qui instituto, ij quoq; non obscuram in fronte habeant sui illius instituti notā. Etsi in hoc posteriore genere facilius occultatur vitium, & fallax praefertur simulatio. Quam obrem certo consilio ad mali illius adnascentis appellationem adiecta est altera interni illius mali, quod in animo nascitur & natum haeret pertinacissime: nempe quod *latus corde* vel *tumens animo*, *follis*, *fastu intumescens*, *inani κενοδοξία* crepans, ambitione corrumpēs omnia, hoc loco dicitur. Atque hoc quidem hominum genus quantopere sit Regib. Principibusque, comitatui ipsorum, & toti ditioni exitiabile, omnes historiae omnium temporum tam euidenter docent, vt qui venenum hoc esse perniciosum neget, is meridie lucere neget. Nam quid, qua in re, quo modo utilis cuiquam esse possit, qui sibi ipse utilis esse nescit, nec sciens potest? Primum enim cuius animus ita distenditur sui opinione, vt *follis* aut *vesica* vento, aut *venter* hydrope, quam tandem, ob-



fecro, vtilitatē inde reportaturus est? nisi quod futurus cum foliis ludibrium ventorum, qui aulas & excelsa illa palatia perflant frequentissime, aut etiam pro modo aquæ intercutis ipse sibi crucem fixurus est, & erepturus lucem. hic enim est inanis istius gloriolæ & fastus, hic ambitionis fructus. Quod si ipse sibi vtilis non est, sed magis dānosus, An propterea, dixerit quispian, aliis quoq; erit inutilis? Omnino inutilis per se futurus est: Quod si quid vtilitatis inde ad alios peruenit, id nō virtutis aut hominis per se opus, sed vitii per accidens (vt loquūtur) euentus dicendus est. Nam quibus prodesset iste? amabo te. An iis qui circumstant ipsum? At illa ipsa distensio & dilatatio animi, vt in rebus corporeis accidit, angustiam parit iis qui circūstant ipsum: minores opprimit, seu inferiores: æquales vrget, vritq;: maiorib. & potentiorib. insidiatur. Cui igitur bono? Quod si Regibus Principibusq; vtilitatem adferri ab istis putes, nihil minus. Nam neq; apud Reges & Principes intumescere Thrasones istos honestum est, nec tutum. Non honestum esse Rex ille sapientissimus in Prouerbiis testatur: & in Ecclesiaste iubet eum qui accedit regem modestiam humilitatemq; induere, non specie (Nam cur doctorem hypocrisē dicamus Solomonem?) sed re & veritate. Non est tutum cuiquam: Nam siue de se ipso magnifice res multas aut paucas, qui quid est, apud Regem suum prædicauerit, sordet sua laus in ore ipsius: quantum sibi arrogat, tantum de Regis gloria videtur derogare: de-



re: deniq; vocem suam efferens in laudes suas; effert manum Regis in perniciem suam, sermonesq; deblaterat in suum iugulum redituros. Et quam multi viri, non sua solum opinione, sed aliena quoq; existimatione magni, hoc unico imprudente facto cum antecedentibus seculis, tum hac memoria nostra, sibi periculum accersuerunt, & mortem ineuitabilem imprudentes pepererunt? An vero aliis utilis iste homo futurus esset? Nam sermonibus apud Regem grandibus & verbis (vt ille dicebat) sequipedalibus seipsum si dilatauerit, alios premit: si alios magnifice commendauerit, duo tacite conatur: quorum alterum plerunq; assequitur: puta vt seipsum commendet commendatione alterius, & vt alterum ficta & simulata commendatione obruat. Quis potest? inquires. hoc vero cogitari malo, quam dicere. Dicant per me licet, qui sunt in hoc genere artifices. Nam mihi quidem satis est, quid David hoc loco sibi voluerit, quasi digito commonstrasse. Hæc igitur illa duo sunt genera, quæ David nec tulit ex facto, nec ferre animo potuit: Tantam ille pietatem, tantum veritatis & humanitatis studium animo suo imbiberat. Quapropter moneo hortorque vere bonos & Christianos Principes, vt hos fungos & fucos fugiant, fugentq; & bonos omnes, qui apud ipsos gratia & auctoritate valent, monendos itidem hortandosq; puto, vt tum ab istis vitiosis spongiis sibi regibusq; caueant, tum ipsi maxime a vitio: ne forte in ipsorum imprudentium animos a-



liquid illabatur, quod semel radicatum surculos (vt cum Mose loquar) vltos tandem pullulet istius amaritudinis. Nunc ad secundum locum externi officii veniamus.

*6 Oculi mei attendent ad veraces terræ, ut consideant mecum: ambulans via integra, is ministrabit mihi.*

*7 Non habitabit intra domum meam faciens dolum: loquens mendacia non stabilietur coram oculis meis.*

Diximus de accedentibus, aut accessuris principem: iam de ministris dicentem Dauidem audiamus. Administratorum autem alii consilio Principes adiuuant, operamq; præstant coniunctam consilio: Alii operam præstant domesticam, aut quasi domesticam, in rebus magis commodis positam, vt sunt custodia, rationes pecuniariæ, & aliæ, quam ad consilium publicum per se pertinentem. De his duobus generibus distincte officium suum enunciat Dauid. De iis enim qui consilio adsunt, habentur ista versu 6. *Oculi mei attendent ad veraces terræ, ut consideant mecum: Ambulans via integra, hic ministrabit mihi.* De illis vero qui operam domesticam, & quasi manuariam commodant, *non habitabit, inquit, intra domum meam faciens dolum: loquens mendacia non stabilietur coram oculis meis.* Itaq; sanctis prudentissimi huius Prophetæ vestigiis insistentes, de iis qui consilio iuuant, priore loco: tum de iis qui opera, posteriore videbimus. Consilii publici rationem informans Dauid,

ante



ante omnia distinguit illud in Iuminū, siue amplissimū, & dignitate primū, quod Regi adesse solet; & in quodlibet infetius ac secundarium (vulgo subalternum vocant) quod a Regibus Principibusq; variis locis ideo sufficitur, quia ipsi pro conditione & infirmitate naturæ suæ, nec omni loco adesse, nec omnium sermones accipere, nec omnibus respondere possunt, nec omnia exsequi. De prioribus igitur, qui consilio ipsum coram iuuaturi sunt; *Oculi mei, inquit, attendent ad veracem terram ut confideant mecum:* De posterioribus autem, *Ambulans, inquit, via integra, is ministrabit mihi.* Ac primum quidem de consilio summo Regum Principumq; dicturus, a quo dicionem (vt a Sole mundum) totam communi luce oportet perlustrari, ostendit tria esse capita, in quæ ipsum collimare necesse fuerit studiosissime. Horum primum est, sibi non soli præfidenter suscipiendam esse prouinciam regendi & curandi tegni, sed adiutricem aliorum operam, qui confideant ipsi, capiendis consiliis deliberationibusq; esse adhibendam. Alterum est, non quoslibet ad istud fastigium temere aduocandos, aut per gratiam, fumumue aulicum, aut per studia particularia rationibus ineptis conciliata; sed viros idoneos, cum ratione iudicioq; deligendos sibi: Tertium deniq; non eos neglectim, aut dicis causa, ab ipso adhibendos esse, quin potius illud satagendum, vt oculis in illos defixis, prudenter illorum consilia audiat, obseruet, expendat, probet, & bene consulta, mature exsequatur. Hæc tria



illa sunt capita, quæ sibi Rex prudentissimus præstituit obseruanda: quorum primum in modo consilii: secundum in modo consiliario- rum: tertium in modo Regis aut Principis, qui præest consilio, ponendum est. Modum itaque consilii, quod caput primum esse docuimus, tanquam ex duobus illis assurgentem, Psaltes notauit potremo loco dicens, fore *qui conside- ant secum*: Hic enim confessus ex personis, quæ ante dictæ sunt, constitutus, non dicitur a Da- uide simpliciter, de illa specie amplitudinis quam Reges stipati comitatu magno videntur obtinere: & hæc turba comitatus magis quam confessus dicitur. Sed confessus consiliorum est: & consiliorum iustorum conuentus eo con- fessus synecdochice appellatur, quod a sedenti- bus consilia plurimum habeantur. Sedent autem consilia habituri, non solum causa commodi- tatis suæ, aut grauitatis exhibendæ & præ se fe- rendæ maiestatis dignitatisq; supra adstantem coronam, aut etiam publicæ honestatis & or- dinis: Sed hæc potentissima in consiliis capi- endis est sedendi causa, quod sessio corporis sedationem mentis, in qua ferme vis consi- liorum sita est, & iuuat intus, & testatur foris: Quam in sententiam, Romani olim sedendo vincere dicebantur. In consiliis capiendis se- dere prudentes viros, consilio capto surgere, & stare ad exsequenda mature consulta opus est: Sin minus, in consiliis statio est præfidentia & celeritatis index, quam res multæ fugiunt: ce- leritas, exitii. Hæc certe non nisi temere bonæ  
exse-



exsequutionis est præuia: nisi res eiusmodi subito occurrerint, quibus prospici consilio non possit, sed in procinctu consilium re præsentate capi: quasi in theatro gladiatorum acclames, In arena consilium. Sedetur autem in consiliis, & mens sedata occupatur cum rebus audiendis, tum iudicio ex rebus auditis, cognitis, atq; præsumptis faciendo. Vtriusque, auditionis atque iudicii, duo sunt tempora. Nam primum audiuntur foris, siue nuncii siue partes: Deinde intus audiuntur consiliarii, iudicia sua ut capita conferentes, cum res a Principe cōsiliis in consilium missa est, rogaturq; sententia, ut dicant singuli suo loco & modo: Loco, ait Tullius, nõ nisi rogati: modo, breuiter, & vere, sine ambitu, & ostentatione verborum. Iudicii vero duo tempora similiter incidunt in optimis consiliis: prius est particularis illius iudicii, quod vnumquemque iudicem & consiliarium, re optime audita, cognita, explorata, & deliberata, quantum in ipso est, iudicium suum ferre singulariter opus est loco suo, & modo, ut ante diximus: posterius autem est, cum omnium auditis sententiis, rationibusque, testimoniis, & probationibus vltro citroque perceptis, communis sententia exsurgit, quam Princeps consilii velut communi omnium voce enunciat. Hanc rationem confessus, sedatam, prudentem, & commode ordinatam spectabat David, cum de regno sancte administrando cogitaret. Sed quia parum est ius in confesso esse, atque consiliis, nisi sint qui ex iure consilia rogent,



capiant, rogentur, afferant: ideo de utroque hominum genere apto consiliis Propheta statuit breuissime, sed tamen ex æquo bono grauissime. Nam eorum qui consilia rogantur, & dare rogati solent, modum definit Psaltes, cum *veraces terræ* nominat: Principis modum rogantis consilium, atque capientis, circumscribit dicens, se *Oculos suos* ad illud genus hominum *aduersurum*. Duplex igitur laus consiliariorum a Dauide ponitur, cum dicuntur *veraces terræ*: Primum enim fides in illis desideratur, secundo experientia. Fides seu veritas (vt in scripturis appellatur) ante omnia in iis requiritur, qui ad consilium admittuntur. Huius radix, pietas: finis, charitas: modus, veritas a prudentibus definita est. Sic enim prudens ille Iethro: Sic Moses sapientissimus in lege tradidit: Sic Deus præcepit locis complurimis. De pietate diximus: qua statuunt iudices & consilarii, iudicium esse Domini, ac proinde sibi non licere quodlibet, sed quod ille iudiciorum Dominus menti ipsorum exhibet & conscientiæ. Charitas in reipub. in Principem, vt caput reip. in membra singula: vt secundum pietatem, iustitiam, honestatemque constent omnia: boni defendantur, & afficiantur meritis honoribus; mali coerceantur, & afficiantur meritis suppliciiis: Mala arceantur; bona promoueantur atque procurentur. Veritas ad hæc omnia modum adfert per necessarium: Nam & vera mente, veroque animo, ac non fucato, in rebus cognoscendis ac diiudicandis opus est: & vera cogni-  
tionē



tione eorum quæ in consilium mittuntur, siue præformata ea sit vi quadam prudentiæ atque ingenii, siue informata ex rebus auditis, cognitis, atque exploratis: & vera denique actione, in istis rebus singulis, cum tempestiuum est, ex mentis recessu depromendis. Sed hinc caue diligenter, quisquis in consilium admitteris, ne prudentiam a veritate separes, quam in sua ipsius constitutione tertio loco Propheta notauerat. Nam veritas sine prudentia, in mente est inanitas: in sermone, garrulitas: in rebus, stoliditas. Bonum itaque Consiliarium sic veracem præcipit Propheta esse, vt prudētia agat veritatem: alioquin veritas ad portum contenderet maximo damno, ventis obluētantibus, nisi prudentia teneret cursum. Huius enim proprium illud est, vt per eam videas, non tantum quid debeas, sed etiam quid possis. Ad hanc rem, plurimum altera Dauidis obseruatio facit, vt qui in consilium admittitur, non sit alienus a rerum illarum scientia de quibus consilium habendum est, Ne sutor (quod aiunt) ultra crepidam. Hanc conditionem Propheta expressit, cum *veraces terræ* appellaret: Monuit enim Principem Spiritus S. hoc dicto, ad consilium regionis & regni illius non alienigenas, sed potius indigenas, aut certe non peregrinos & hospites, ignaros publici, sed diu in repub. versatos, & scientes rerum personarumque, ad hæc aratra adhiberi oportere: quia hinc dū actur peccatur leuiter, effectu peccatur plerunque grauissime. Id quidem verum est, ceremonia-



lem ex parte hanc fuisse obseruationem, quæ sanctitas in populo Dei conquiescebat, id est, Iudaico: ac proinde indignum fuisset futurum, si profanus homo & a populo sancto alienus illi præfuisset. Quapropter qui sapiunt, alienigenas hoc nomine a consiliis non sunt depulsi, nisi Iudaizare (vt scriptura loquitur) præfracte voluerint. Verûtamen manet illud principium immotum, neminem nouum hominẽ, quamuis ingenio valentissimo, repente ad istã consiliorum amplitudinem adhiberi a prudentibus oportere: ne ignarus regni aut principatus ad consilia eius, ignarus ciuitatis ad gubernacula illius accersatur. Multum enim in vsu rerum experientiaque positum, a qua peritos appellamus. Cum autem hinc de regno suo Propheta ageret, cur non eandem accuratorem & prudentiam vtilem admouisset? Restat tertium caput, de Principis consilia rogantis informatione. *Oculi mei*, inquit, *attendunt ad illos homines*: Sensus est: vt oculi huius corporis vident quidem ipsi, sed vnum aliquid vident vno intuitu, nec plane id ipsum vnum quod vident, nec satis, nec ita certo vident quin falli possint, quemadmodum ramus fractus in aqua videtur oculis, aut collum columbæ tortum: Sic acies mentis meæ nec ad tam multa spectare potest, nec vnum aliquid peruidere, vt certo iudicet: Adiutoribus opus est, quorum oculis oculi iuuentur mei: nam multitudine consiliariorum (ait Sapiens Prouerb. 15.) consistimus. Ad illos itaque oculi mei aduertent sese: tum vt eligendos



dos & vocandos probem, tum vt electos & vocatos ad consilium occupem, tum vt obseruem consilia illorum, & veritatem siue consiliorum amplectar, siue animorum laudem, quamuis a recto consilio inscientia & infirmitate sua deflexerint, aut aliquid contra voluntatem animi mei, aut contra me mihi, pro veritate & fide qua tenentur, dixerint. Atque hoc ferme prae-  
cipuum caput est, in quo Principes tenere modum erga consiliarios necesse est. Notum est publicum illud Ægypti institutum, quo publici Regum consilarii, quum primum admitterentur solenniter, iurabant in hæc verba, se pronuntiuros secundum ius & æquitatem pro fide sua & conscientia, etiam contra Reges. Hoc illi fide data, Regibus ipsis promittebant. Nec incelebre illud Traiani dictum, Centurionem gladio accingētis: Hoc vtere, si bene imperaui, pro me; Si male, contra me. In consiliis, Princeps libertatem si tollit, tollit veritatem. Is autem proculdubio libertatem tollit, qui consilia vlciscitur: defuturi enim sunt qui suadeant (vt apud Curtium legimus) si male suasisse periculum sit. Quis enim homo semper bene, nunquam male? De consiliariis minorum gentium (qui alter locus est) siue consiliorum administri sint, siue participes, eadem plane ratio nobis est ineunda. Nam primum considerant necesse est ad capienda consilia: si non cum Rege, aut Principe (quod ampliorum est) atque cum eo qui Princeps confessus fuerit constitutus. Deinde veraces sint oportet qui rogantur



consilia, eaq; in veritate suggerant. Tum Princeps confessus oculos huc aduertat opus est diligentissime. Quod si inferioribus istis confessibus tanta non infuerit iusti cognitio, peritiaque veritatis, saltem bonam conscientiam adesse opus est, qua praeant, dum possunt: dum vero non possunt, praeuntibus illis obsequantur. Quapropter conditionem hanc inferiorum, siue cognitorum, siue iudicum, Propheta commode his verbis enunciauit: *Ambulans via integra, is ministrabit mihi.* Hæc igitur consiliorum ratio, in pietate, iustitia, charitate, veritate, prudentia, & integritate constituta: quam paucissimis verbis Propheta iam olim delineauit, & nos plurimis in locis, proh dolor, exolescentem conati sumus adumbrare, vt Dei Spiritu, si fieri potest, a piis & cordatis Principibus restituta Christiano orbi prodesse ad salutem possit. Sequitur de administris locus; a quibus operam magis quam consilium Principes exigunt. Horum alii sunt domestici: alii, quamuis extra domum, in regno ministrant Regi; in Principatu, Principi: vt sunt in re pecuniaria, Quaestores: In rerum exsequutionibus, Satellites, viatoresq;: In regni custodia, Prætoriani siue Comitatus, & Præsidarii. Horum omnium quantopere lubrica sit administratio, nemo ferme ignorat, qui aut res præteritas memoria repetit, aut animaduertit præsentis: Nullum enim hominum genus, magis est neccendis dolis, mendaciis affirmandis, violentiæ exercendæ, & iniustæ rapinæ, accommodum. Quam  
rem



rem suo tempore luculentissime iam olim descripsit Tullius, singulari Epistola ad Quintum fratrem. Hæc omnia ad duo capita restringens David, ministros eiusmodi appellat duobus nominibus, *Faciētes dolum: & Loquentes mendacia*. Etenim quamvis exigua illa & perangustis finibus comprehensa potestas illorum, non admodum nocere posse videatur, & (quod Plures videtur omisisse) in violentia & rapinis audacibus tam effuse, quam in dolo & mendaciis occupetur; tamen quæcunq; ab illis, siue imperiosa audacia sua, (Nam Reges simulant) siue impotente violentia, (Nam tyranni pro regibus audire volunt) siue alio vllō concussionis modo efficiuntur, ea optime a Rege dolo & mendaciis adscribuntur. Nam si quod eorum factum in priuatum hominem est audax, imperiosum, violentum, impotens, id apud Regem dolo & mendaciū est: apud quem factum suum dolo & mendaciis, si inaudiatur, defensuri sunt, & a quo dolose mendaciterque acceptam auctoritatem occupant, & acceptæ potestatis specie, de non accepta auctoritate proinde gloriantur, ac si accepissent. Sic in crimen duplex hoc facto incidunt. Nam miser ille priuatus qui furtum fecerit, fores effregerit, res alienas diripuerit, fur, effractor, prædo appellatur: Sed hi vno eodemque facto, miseris nocent popularibus, vt fures, effractores & prædones illi, & regie auctoritatis vel principalis velo abutentes, suo Principi dolos & mendacia nectunt, eumq; aspergunt.



doli sui tyrannici mendaciorumq; labe, quam Reges merito indignius ferunt, & grauius vlciscuntur. Etenim si legibus publicis bene Impp. cauerunt, nequis potentiorum titulos suis prædiis affigeret, & pœnæ in eos sunt qui id fecerint constitutæ: quid facias iis hominibus qui in publicum publica, in Regem regia auctoritate abutuntur? De his autem communẽ sententiam, paucis verbis fert Propheta dicens: *Non habitabit intra domum meam, non stabilietur coram oculis meis.* Quod autem duo de illis Psaltes pronunciat, se daturum operam, vt nec habitent intra domum suam, nec extra domum foris in regno suo stabiliantur, maximum pietatis in Deum, & charitatis in subditos, est argumentum. Nam duplex incrementum in denunciatione est eiusmodi: vnum, quod nec habitaturi fixumq; domicilium habituri sint, nec commorandi aut consistendi (quod amplius est) commoditatem ab ipso consequuturi, nec prece, nec pretio, nec simulatione aut dissimulatione vlla: Alterum, quod non modo intra domum Regis non sunt posituri pedem, sed ne in regno quidem. tanta sollicitudine se David laboraturum prædicat, vt se, domum, regnumque sibi cõmissum, ab omni impuritate, communione, specie, & occasione impuritatis vindicet. Hoc nimirum verissime regale pectus, tanto iustitiæ, & famæ existimationisq; suæ iustitia coniunctæ zelo exardescens, vt oculus ipsius nemini, quãuis potetia, auctoritate, gratia artibusq; instructissimo, vnquã pepercerit, quem



quem quidem certo viderit a pietate, iustitia, existimatione Regis sui, & popularium cōmodo improbe aberrare. Certe quisquis Princeps ita segnis est & inerticulus, vt diuturna dissimulatione hominū huiusmodi bene sibi consultum putet (vt alia taceam) duo sibi & toti diciōni accersit mala. Nam vt malum est in nobis pertinax, dissimulatione inualefcit, radicatur, diffunditur, & (quod in libro Iobi dicitur) Rami illius ad fenestras vsq; & parietem lapideum maximo propinquorum damno siluescunt, luxurianturq; : Deinde, vt homo est ad malum sequax, & proclius ad imitationem illius, alii sibi eandem viam insistendam putant, eandemq; licentiam, & impunitatem spondent in maleficiis: quod malum vbi publicum factum est, longe curatur difficilius, quam si in priuato vno aut singulari aliquo homine, aut etiam paucis aliquot, tempori auulsum esset. Dominus vocationum auctor bonis Principibus ad ista mentem, animum, & vires sufficiat pro sua misericordia: vt ad securitatem & tranquillitatem publicam ac suam, sibi & suis popularibus, regnoque toti aduersus hæc mala prospiciant commode. Hactenus de consiliis, & ministerio Regum, & Principum. Sequitur de popularibus & subditis (vt vocant) omnibus, sententia diuini Regis. Dicit enim:

*8 Singulis matutinis excindam omnes improbos terræ, ad rescindendum a ciuitate Iehouæ omnes qui operam dant iniquitati.*



Hic autem Propheta duo summam enunciat, quæ bono cuique Principi & pio Magistratui ante oculos indefinenter versari necesse est: Actionem suam erga populares, & finem totius actionis & administrationis suæ: quo fine communi omnia huius Psalmi effata sanctissime concluduntur. Actionum suarum modum his verbis descripsit David, *Singulis matutinis, excindam omnes improbos terra*: Finem vero, uniuersum, illis, *Ad rescindendum a ciuitate Iehouæ omnes qui operam dant iniquitati*. Ac primum quidem in actione, quam David spondet Domino, tria sunt distincte a piis Regibus Principibusque obseruanda. Primum est de obiecto, nimirum quinam illi sint, in quos omne studium operumque ipsorum sit necesse occupari. Secundum est de actione, qui actionum principalium in illos modus. Tertium denique, de circumstantiis ad istas βασιλικότητας ac vere dignas bonis Principibus actiones adhibendis. De primo itaque videamus: Obiectum actionum suarum David hoc loco statuit, *omnes improbos terra*. Quid ergo? dixerit quispiam: An erga probos, pios, & bonos viros Regem plane oportet esse otiosum? An suas actiones ab illis reuocare, atque inhibere? An nihil cum illis, per illos, aut erga illos agere? Absit, ut David hoc consilium sibi dicamus statuisse, aut Regibus & Magistratibus in posteritatem dedisse. Nam quomodo id facturum fuisset David? qui de se, & de domo sua a malo repurganda dixit: qui de consiliariis veracibus, integrisque, & de administris ita loquutus est, ut bonos sibi adiungere,



gere, malos seiungere atq; extrudere cū animo suo statuerit. Sed quod obiectū istud sibi Propheta statuit, nō tamen excluso bonorū respectu (quē omnib. bonis Principibus constat esse cordi religiosissime) id tribus de causis maxime videtur factū: Prima est, quod pietatis, & bonæ conscientia, prudentiaq; ad sanctimoniā tum ipsorū Principum, tum aliorum spectantis lege posita in antecedētibus, cōtinuo illa bonorum virorū ratio, quæ hic reticetur, omnino cōprehensa est. Nam qui pietatem curaturus est integritatemque, idem nō potest nō curare pios & integros, maxime cum ei curæ a Deo sit præfectus: qui verba hominū nequam & declinantiū facta propulsaturus est, nō ideo verba omnium factaq; depulsurus est, quin bonorū & rectorū hominū verbis & factis acquiescat: qui animo peruersitatē repudiaturus est, & mēte ignoraturus malum, non propterea animo otioso & mente ferrea dicēdus est: Nā de bono cōtrario istis malis, cū animo suo & mente videtur statuisse. Sic de cæteris officiis, quæ David ante sibi arrogavit. Hoc ergo obiectū Princeps ita sibi proponit, improbos, vt eo non excludat bonos ex illius principalis sollicitudinis beneficio: cū vnus remotio (vt cum vulgo Iureconsultorum loquamur) in hoc prædicationū genere sit positio alterius. Secunda causa videtur esse, quod malorum siue improborum numerus semper est incredibilis, actiones indefinentes, & effecta perpetuo veluti cursu aduersus ordinē publicū irruentia: quo in ordine cum boni facile



conquiescant; improbi autē improbe tumultuētur, non est res laboriosa Principi in regendo bonorū ordine cōstituta, sed in confusione, contradictione, ac rebellione improborū hominum coërcenda. Generosus vero animus Principis (vt de Hercule dicebatur) sibi labores præfigit ac destinat obeundos, & quodammodo fretus vocatione Dei, suam gloriatiōē in eis statuit. Postrema causa atq; euidentissima hæc est, quod actionem proximam singulari prudētia Rex ipse sibi hoc loco præfiniuit, quæ regalis officii in bonos velut præuia & administra est. Nam cur coërcentur a Rege improbi, nisi vt bonis sit bene? Cum itaque obiectum improborum hoc loco statuit, qui propter bonos in ordinem cogi debent, quomodo hinc excludi putentur boni? Nam in his præsertim est positus finis actionis istius. vt illud mittamus (quod bonum Principem peruelim obseruare) Bonos satis præmii beneficio Principis sui pro bona conuersatione sua reportare, si in pace & tranquillitate degant præsidio illorum. Amplius etiam dico, præmium illud commune in bonos, pacem, inquam, & tranquillitatem publicam æstimari tanti oportere, vt non sit cur laboret Princeps de illis in super munerandis: Sin autem singularia illorum merita fuerint eiusmodi, vt ea Princeps præmiis affici putet oportere, profusum eum esse nolim, & multa in paucos gratiâ (vt imprudentes faciunt) erogare, sed pauca in plurimos. Huius autem obiecti duplex circumscriptio est: vna,

(vt



(vt ita dicamus) vniuersi nota: Altera, distinctionis modificantis vniuersi notam. Nam vniuersale dicit, *Omnes*: nemini quippe improbo vult parcitum, & cauet Deus. Distinctionem vero adhibet prudentissimam, cum *improbos terra* dicit, id est, qui in terra vel ditione sua sunt, siue indigenæ, siue alienigenæ, inquilini aut viatores, cuiuscumodi illi sint. Sic autem ostenditur, nolle Dauidẽ extra fines suos quicquam sibi assumere, non prætersilire vocacionem suam, non inuolare in rem alienam, non tyrannum domi, foris prædonem esse: quod vulgus Regum hoc nomine sibi licere putat, quia dicuntur Reges, & videntur sibi. De hoc itaque obiecto (vt ad secundum veniamus locum) quid instituerit facere, testatur Dauid, dicens, *Excindam*: pro eo quod est, Non feram; sed amouebo, siue loco, siue vitâ, prout iusto consilio placuerit. Docentur itaque hoc actionis modo boni quique Principes, si boni audiri volunt, vt primum omnium saluti improborum ac emendationi consulentes, improbitatem (quoad eius fieri potest) potius perdant, quam homines, & ab hominibus improbitatem arceant monitis publicis, exemplis, atque suppliciis: Deinde vero, si forte nolunt, nec possunt redire ad bonam frugem, tum Principibus videndum esse, vt illis propter improbitatem excisis publicum ab eorum improbitate vindicetur. Iam accedat tertium in circumstantia illa positum, *Singulis matutinis*. Ô vere principem! Ô patriæ patrem, qui hac mente ad



munus suum attenderit. Philippum Macedonem narrant Historici, cum tribus locis die vno re bene gesta nuncii ad ipsum adferrentur, Deum rogauisse ne quid aduersi ad tam multas res secundas apportaret: & ne elatus insolesceret, puerum sibi cubicularium instituisse, qui vnoquoque mane accedens & salutans ipsum, his verbis compellaret, Memineriste esse hominem. Quin faciant hoc tempore boni & Christiani Principes eadem arte, vt hic versus quotidie auribus & mentibus ipsorum inculcetur? vt inde a matutino, & vnoquoque mane, sanctissimæ huic actioni incumbant ad quam vocati sunt, optimasque illas horas, rebus diiudicandis & ordinandis accommodatissimas, in hac sancta occupatione exercent, seque in ea exercenda totum diem inde a matutino occupent diligentissime. Hæc studia, hæ rationes, hæ actiones vero Principe dignæ, vt feros homines indomitosque coerceat, & tranquillet bonos. Restat finis actionum omnium, quas ex Dauide ante cognouimus. *Ad rescindendum, inquit, a ciuitate Iehouæ eos omnes qui operam dant iniquitati.* Sensus est, hæc omnia Dauidem sibi certo consilio sanctoque præstitueret, vt improborum exterminatione, gloriæ Dei (cuius Ecclesia est) & bonorum commodo qui in regno sunt, regnoque toti eadem consulatur. Sic primum confirmat Dauid quod ante dicebamus, in exitio improborum consuli a bonis Principibus commodo Ecclesiæ & reipub. Deinde vero aperte ostendit quantacunque religione,



fide, ac diligentia laboret Princeps in exterminandis improbis, nunquam id cum assequi, dum viuit, posse, vt omnes istas damnosas spinas, sentes, & vepres succidat: sed tamen singulis matutinis faciendū esse, & continenter hunc finem ponendum ob oculos, in quem collinet: Postremo autem, repurgationem hanc a Principe factam tribus potissimum finibus inferuire, Deo, Ecclesiæ, & regno: Deo, quia hæc tam spectant ad gloriam ipsius, quam quæ maxime; quorum custodes propterea Principes in repub. sua singulos esse voluit: Ecclesiæ, quia Ciuitas est Iehouæ, quam fidei ipsorum custodiendam commisit, vt pro iis legibus quas ante audiuius, procureret illius commoda secundū Deum, Regem æternum Ecclesiæ suæ, & Regē ipsorū: Regno deniq; suo, & ditioni suæ, vt ciuili ordine secundum pietatem, Iustitiam, honestatemq; in ea diligentissime procurato, tum bonis publice priuatimque vtilis sint tota administratione sua, tum ipsi sibi veram laudem pietatis, virtutis, & rei bene gestæ coram Deo, hominibusq; comparent, quæ ipsis ad famam existimationemq; publicam, aliis ad exemplū statui possit publico vtile, & Deo gloriosum. Hæc autem omnia, de Regum Principumque vocatione singulari, officioque ex necessitate imposito, interpretari opus est, prout singulis a Deo sui fines regendi his legibus sunt demandati: Non quod Principem *αὐτόδικον ἢ αὐτάρεστον* & ab omni coniūctione & communionem cum finitimis aut exteris abhorrentem Dauid esse



iubeat: Nam ipse aliquot exemplis in Scriptura demonstrat satis, ciuilem & sanctam cum finitimis communionem haberi posse: & regnis non raro expedit. Sed quia aliud est de propria uocatione agere, quæ necessitatis est, aliud de communi aliqua coniunctione foris, quæ est uoluntatis: De propria cum hoc Psalmo dicere instituit solum, reliquam illam partem in federibus societatibusq; exteris positam noluit attingere, sed iudicio bonorum totam permittere. Quia uero illius partis ratio est eiusmodi, ut tota partim ex illa singulari uocatione & regni administratione, partimque ex communi officio charitatis pendeat: quod singulare est, ex singulari hac institutione; quod autem commune, ex communi illa charitatis & prudentiæ lege petendum est. Atque hanc partem, prudenter a Dauide pro instituto omisissam, qui desideraturi sunt, ex aliis, siue Davidis siue aliorum, in scriptura sacra documentis haurire possunt. Nos pro bono Principe apud Deum feruenti prece & lacrymis cōcludimus:

BENIGNITATEM, O Iehoua Deus, Principi, & ius inspira, quod canat, & nomini tuo psallat. Effice tui Spiritus communicatione, animaduertat via integra quandocunq; es uenturus ad ipsum, indefinenter ambulet domi suæ cum integritate animi: Non proponat oculis suis uerbum hominis nequam, sed declinantium facta sic oderit ut malum non adhæreat ipsi: Animus peruersus recedat ab ipso, ac non cognoscat malum: Lingua lædentem clam  
apud



I N S T I T V T I O. 69

apud se proximum suum, istum excindat: elatum oculis, & tumentem animo non possit ferre: Oculi eius attendant ad veraces terræ, vt confideant cum ipso, & ambulantes via integra ministrent ipsi: Non sinat habitare quemquam intra domum suam, qui faciat dolum; nec loquentem mendacia stabiliri coram oculis suis: Matutinis singulis excindat omnes improbos terræ, ad rescindendum a ciuitate & domo tua, populoque & ditione sua, omnes eos qui operam dant iniquitati: vt submotis impedimentis pietas, iustitia, veritas, charitasq; floreat in pace publica ad gloriam tuam sempiternam.

A M E N.



E 3



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.





Chrysoſtomus in 2. Cor. 7.  
homilia 15.

**N**ihil tam clarū efficit eum qui magistratu fungitur, quam dilectionis studium erga subditos. Etenim patrem non solum facit quod genuit, sed etiam quod diligit postquam genuerit. Si autem hic natura opus habet tanta dilectione, multo magis gratia. Sic veteres omnes, quotquot apud Hebræos insignes fuere, claruerunt. Sic Samuel magnus demonstratus est, dicens, Absit autem vt peccem Deo, cessans orare pro vobis. Sic David, sic Abraham, sic Elias, sic omnes iusti in noua & in veteri lege. Etenim Moses propter subditos tantas diuitias & ineffabiles thesauros dereliquit, eligens magis affligi cum populo Dei: & ante electionem operibus apud plebem clarus erat valde. Propterea insipientissime dicebat illi Hebræus quidam, Quis te constituit principem & iudicem super nos? Quid dicis? opera vides, & de nomine controuertis? quemadmodum si quis viso medico qui optime fecerit & infirmum corpus adiuuet, dicat, quis te constituit medicum, & secare iussit? Nonne, vir optime, ars & morbus ille tuus  
iussit,



iussit, & hunc scientia talem fecit? Etenim imperare ars est, ac non solum dignitas; immo ars est artium omnium summa. Nā si imperium in ea quæ extra homines sunt ars & scientia omnib. aliis melior est, multo magis imperium in homines. Etenim hic principatus tanto maior illo est, quanto ille aliis, immo multo amplior. Est ars agriculturæ, est texturæ, est ars ædificatoria, quæ & necessaria sunt valde, & vitam hanc nostram plurimum adiuuant conseruandam. Nam aliæ administræ sunt illarū, vt pastoralis, fabrilis, tectonica: sed inter istas artes maxime necessaria præ aliis est agricultura, quam & Deus factō homine primum induxit. Nam possibile quidem est, hominē viuere sine calceis & vestibus, absq; agricultura autem impossibile: quales apud Scythas dicunt esse Hamaxobios, & apud Indos Gymnosophistas: nam illi & ædificatoriam, & textoriam, & sutoriam artem non curant, sola autem agricultura opus habēt. Erubescite qui superfluis opus habetis artibus & coquorum, & placentulariorum, & varie condientium cibos, & innumeris aliis talibus, vt uiuatis. Erubescite qui inutiles artes in vitam inducitis: non erubescitis barbaros illos non egere arte?



arte? Etenim Deus naturam nostram paucis contentam fecit. Verumtamen non cogo, neque legem pono sic viuendi, sed sicut Iacob petiuit. Quid autem petiuit ille? Si dederit mihi Dominus panem ad manducandum & vestem ad amiciendū. Ita & Paulus præcepit dicēs, Habentes autem victum & tegumenta, his contenti simus. Igitur prima quidem agricultura est, secunda autem textoria, tertia post illam ædificatoria, postrema autem omnium sutoria: vnde apud nos multi sunt & serui & agricolæ absq; calceis viuentes. Igitur utiles & necessariae illæ. Age vero conferamus illas cum imperatoria. Propter hanc enim adduxi illas quæ omnium magis sunt propriae, vt quum apparuerit hanc meliorem esse illis, absque dubio etiam cæteras vincat. Vnde igitur ostendemus illam magis omnibus esse necessariã? quia sine illa aliæ nihil utiles. Si placet, relictis aliis, summam & magis necessariam, agriculturam in medium adducamus. Quid enim habent agricolæ, quando inter se inuadunt & alter alterum deprædantur? a qua re Principis metus illos cohibet, nec finit vt illa faciant. Quod si hanc artem sustuleris, superuacuis ille futurus labor.



Quod si quis diligenter inuestigauerit, aliam quoq; inueniet principalem dominationem, matrem huius & coniunctam plane. Quæ autem illa est? ea nimirum secundum quam vnusquisque seipsum regere & moderari debet, puniens illiberales affectiones, & cum omni diligentia omnia virtutis germina plantans fouensq;. Sunt enim principatus genera multa. Nam in vno genere populis & ciuitatib. imperant homines ciuilem hanc vitam moderantes: quod Paulus faciens manifestum dicebat, Omnis anima potestatibus superioribus subiiciatur: non est enim potestas nisi a Deo. Deinde monstrans illius utilitatem subdidit, dicens, Princeps Dei minister est in bonum. Et iterum, Dei Minister est vlciscens in ira eum qui malefecerit. In alio autem genere vnusquisq; mentem habens sibi ipsi imperat: quod & illic declarat dicens, Si autem non vis timere potestatem, bonum fac, insinuando hominem sibi ipsi imperantem. Videre autem est quasdam artes imitari principatum, præsertim agriculturam. Est enim Princeps quidam plantarum cultor, alia quidem putans & prohibens, alia vero fouens & crescere faciens: sic & optimi Principes malos quidem & populo.



populo damnosos plectant & puniant, bonos vero & frugi ad maiora prouehunt: quapropter etiã Scriptura Principes uinitoribus comparat. Quid enim, si plantę uocem non emittunt, sicut in ciuitatibus ii qui affriguntur? Attamen aspectu ipso monstrant se obicurari & comprimi a malis herbis. Quemadmodum legibus punitur malitia, ita & in hac arte etiam terrę vitium & plantarum degeneratio feritasque emendatur. Nam quęcunq; in humanis moribus sunt, etiam illic sumus inuenturi, asperitatem, mollitiem, teneritatem, luxuriam, bonam constitutionem: & alięquidem ex illis florent intempestiuis diuitiis, & in malum proximarũ, alię autem egent & læduntur: sic quando sepes fruticibus abundant in malum proximarum plantarum, tolluntur, & quando alię arbores steriles & siluestres in sublime assurgentes incrementum subditarum prohibent. Et sicut Principes ac Reges habent qui damnus suo principatui inferant & hostes sint: ita & agricola bestiarum insidias, aëris intemperiem, erucas, grandines, imbres, siccitates, & quęcunq; talia. Hęc autem fiunt, ut ad fiduciam Dei semper respicias.



*Augustinus sententia 163.*

P A X domestica est in ordinata cohabitantium imperandi obediendique concordia: imperant enim qui consulunt, sicut vir uxori, parentes filiis, domini seruis: obediunt autem quibus consulitur, sicut mulieres maritis, filii parentibus, domini seruis. Sed in Domino iusti viuentes ex fide & ab illa adhuc ciuitate peregrinantes, etiam qui imperant, seruiunt eis quibus videntur imperare: quia non dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi, nec principandi superbia, sed prouidendi beneficio.

*Idem.* Locus superior, sine quo regi populus non potest, etiamsi ita sit tenendus atq; administrandus vt decet, tamen indecenter appetitur: vnde otium sanctū quaerat directio veritatis, negotium iustum suscipiat necessitas dilectionis.

*Idem.* Veri patres familiās subditis suis, tanquam filiis, ad colendum & promerendum Deum consulunt, desiderantes venire ad cælestem domum, vbi imperandi necessarium non sit officium: quo donec veniatur, magis debent patres qui dominantur quam serui tolerare qui seruiunt.







Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.






























Ring VI 161

ULB Halle

3

003 241 882



st


X-

17









PSALMVS CI.  
**PRINCIPIS**  
CHRISTIANI  
INSTITVTIO.

A DAVIDE REGE ET VIRO  
DEI PERSCRIPTA: ET APERTA  
analyfi commodaq; ad rationes temporum  
nostrorum commentatione a FR. IUNIO Bi-  
turige illustrata:

*Εὐχὴ τελεστικὴ πρὶς ἑὸς boni principis.*

A D  
ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM  
FRIDERICVM IIII. Electorem  
Palatinum, &c.



HEIDELBERGAE.

*m. Aug. 1703.*

